

qua in præcedenti cap. disputavimus, merito hæreticis fuisse infligam, probemus. Quisquis diligenter consideraverit quantum valeant superiorum hominum exempla ad movendum subditorum affectus facile intelliget. quam justum immo (ut verius dicam) necessarium sit, omnem prælationis potestatem ab hæreticis auferre. Scipio Africanus dicebat nullo se magis animari ad virtutem, quam suorum majorum exemplis: quorum imagines in foro depictas videbat. De Julio Cesare refert Plutarchus, quod cum ille in Hispania res quasdam Alexandri pictas cerne- ret, secum diu cogitabundus postmodum lacrymas fudit, cujus rei causam admirantibus sociis: Nonne (inquit) jure dolendum arbitrabimur, quod hujus ætatis Alexander tot gentes suo subdidisset imperio, qua nullum adhuc præclarum facinus ipse gesserim? Et inde ad res præclaras gerendas expeditur, & fortior effectus est. Si eorum, qui jam præterierunt exempla tantum vivorum animos movere possunt, multo magis id posse credendum est exempla eorum, qui supersunt, præsertim ea, quæ non solum audiuntur: sed oculis inspicuntur. Multo enim magis movent visa, quam audita. Themistoclem enim valde multum juvaverunt ad virtutem Miltiadis exempla. Nam Themistocles quum esset adolescens, in com- potationibus, alisque carnis illecebris volabatur. At postquam Miltiades factus Imperator, apud Marathonem devicisset Barbaros, nullus istam deinceps vidit quidquam agere indecorum. Percorantibus autem multis quid fuisset in causa, ut sic fuerit repente mutatus, respondebat, Miltiadis Trophæis se fuisse à somno suscitatum. Cicero libro quarto Tulcularum quæstionum refert: Demosthenem adeo vigilasse, ut cum opificibus de vigilia contenderit, & dolere se ajebat, si quando opificum an- telucana victus esset industria. Habent tantum vim, & potestatem exempla præsertim illorum, qui auctoritate aliqua reliquos præcellunt, ut ad illa imitanda subdito- rum animos non solum urgeant, sed quasi cogere videan- tur. Ideo Paulus reprehendens Petrum, eo quod prop- ter Judæos, qui à Jacobo Hierosolymorum Episcopo vene- rant, simulate se à gentibus subtraheret volens edere cum illis, dixit illi: (Gal. 2.) Gentes cogis judicare. Nam quia Petrus supremus erat totius Ecclesiæ pastor, & rec- tor, cujus vestigia ceteri sequi debeant: ideo tanti æsti- mavit Petri exemplum Paulus, ut suo exemplo illum non solum ad judaismum alios suadere, sed cogere dixerit. Et merito sic dixit, cogitans quod multo plus movent exem- pla quam verba. Propter quod filius Dei factus pro nobis homo, volensque hominibus certissimam viam, qua ad gloriam cælestem pervenirent, ostendere: prius exem- plis, & postea verbis nos ad illam instruxit. Nam prius (ut ait Lucas Act. 1.) cepit facere, & postea docere. Quem locum pertractans Chrysostomus Homilia prima super Actis Apostolorum, ait: „Eoque Apostoli prius vite exemplis docebant, deinde verbis. Quin potius ne ver- bis quidem erat opus, quum clamarent opera.“ Hæc Chrysostomus. Hinc oritur, ut peccata publica graviora censentur, quam secreta, & tanto graviora, quanto à persona majoris auctoritatis, & quæ magis tenebatur bo- num aliis præbere exemplum, fuerint commissa. Ideo de malis Sacerdotibus Dominus per Prophetam Ezechielem cap. 44. ait: Facti sunt domus Israel in offendiculum iniqui- tatis. Quæ verba pertractans Beatus Gregorius parte pri- ma Pastoralis cap. 2. ait: „Nemo quippe amplius in Ec- clesia nocet, quam qui perverse agens, nomen, vel ordinem sanctitatis habet. Delinquentem namque hunc

nemo redarguere præsumit, & in exemplum culpa ve- hementer extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur.“ Hæc Gregorius. Causa autem hæ- jus inde provenit, quod qui publice peccat, alios ad idem faciendum suo exemplo hortatur, & ob hanc causam scan- dalizari dicitur: quia suo exemplo aliis offendiculum ad- traham parat. Propter quod Salvalor noster hujusmodi scandalizanti acerbe minatur, sic inquit: (Matt. 18.) Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & de- mergatur in profundum maris. Qui sic alium scandalizat, non solum de suo: sed etiam de alterius peccato, qui illius exemplo ad peccandum motus est, rationem reddet. Quod non fieret: nisi quia ille peccat alterius causa fuit, suo exemplo illum ad peccatum vehementer impellens. Hæc omnia quæ diximus, huc tendant: ut per illa notum omni- bus fiat quanta sit exemplorum potentia. Et si tantum valent quorumlibet hominum exempla ad movendos alio- rum hominum affectus: multo magis valebant exempla illorum, qui aliqua auctoritate, & potestate reliquos præ- cellunt. Et hinc luce clarius constare potest justum esse, ut omnis ab hæreticis auferatur prælationis, & domini- potestas. Timetur enim juste, ne his, qui præsit subdi- tos suos ad eandem hæresim suo exemplo trahat. Filii pæ- rentes suos sere semper imitantur: & ad illorum exemplum vitam suam frequentissime componunt. Est enim à natura instum filius, ut parentes suos amet, & inde evenit, ut quæcumque in parentibus viderint, bona esse censent. At quod quisque bonum existimat, illud appetit, & illud imitari conatur: præter hunc mutuum pæ- rentum, & filiorum amorem, est adhuc alia, & quidem potissima causa, quæ filios ad parentum suorum imitatio- nem vehementissime impellit. Hæc est assidua parentum, & filiorum mutua conversatio. Parentes enim suos filii vi- dent, quum comedunt, quum bibunt, quum ludunt, quum jocantur, quum irascuntur, quum subannant. Vi- dent eorum ingluvies, ebrietates, prodigalitates, tenaci- tates, fornicationes, adulteria, & cætera id genus vitia. Audiant illos detrahentes, adulates, mentientes, ju- rantes, pejerantes, blasphemantes, atque alia multa, quæ virum pudicum non debeat, loquentes. Rareque contin- git, ut rem alicujus momenti parentes domi faciant aut dicant: quæ filios lateat. Quantum autem nocere possint mali hominum mores, his qui perpetuam cum illis habent consuetudinem, sacra scriptura multis in locis nos aperitissime docet. Qui cum sapientibus graditur (ait Salo- mon Prov. 13.) sapiens erit: amicus stultorum similis effi- cietur. Et iterum: (Prov. 22.) Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso: ne forte discas semitas ejus, & sumas scandalum animæ tuæ. Et Ecclesiasti- cus eleganti similitudine hoc ipsum explicat cap. 13. di- cens: Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea: & qui com- municaverit superbo, induet superbiam. Denique Propheta Regius ait: (Psal. 17.) Cum Sancto Sanctus eris: Et cum perverso perverseris. Si conversatio bonorum proficere po- test: conversatio malorum multo magis obesse poterit, quia sumus omnes natura procliviores ad malum, quam ad bo- num. Difficilimum est, ut quis inter malos innocenter conversetur. Propter hanc duplicem causam parentes suos filii magis quam ceteros homines imitantur: quia illos magis diligunt, & longiorem cum illis habent conversa- tionem. Faciliusque eorum malos imitantur mores, quam bonos, quia natura jam per peccatum quodammodo cor- rupta fortius impellit ad malum, quam ad bonum. Et

hinc evenit, ut raro contingat patri vitioso filius studio- sus. Scio quidem aliquando ita contingere: sed hoc rarum est, & alio notatum: ego autem de his, quæ frequen- ter, & quasi semper eveniunt loquor. Pater si est merca- tor, filios habet mercationi deditos, si lusor, filios habet lutores: si fornicator, filios nutrit fornicatores: si ido- lolatra filios docet idololatram: si denique hæreticus est, eadem hæresi inficit filios. Hoc manifesta experientia in multis comprobatur esse, qui filios suos in eandem traxe- runt hæresim, in quam ipsi fuerunt lapsi. Testis est Bohe- mia, quæ postquam sub Venceslao illorum Rege, & Si- gismundo Romanorum Imperatore, Catholica fides defe- cit, numquam ad illam hucusque rediit, non ob aliam cau- sam: nisi quia filii illorum eundem à teneris, annis imbi- bunt errorem, quo parentes suos affectos esse vident. Ti- meo certe, ut (quod Deus pro sua pietate avertere dign- tur) idem eveniat Germaniæ. Quia si filii eadem hæresi Lutherana à parentibus imbuuntur, qua illi nunc sunt infecti, tarde illa provincia ad fidem Catholicam conver- tetur. Adolescens enim (ut ait Salomon) (Prov. 22.) ju- ra viam suam, etiam quum senuerit, non recedet ab ea. Et egregius Poeta dixit.

Quo semel est imbuta recens servabit odorem Testa diu. Justum igitur fuit, & necessarium, à parentibus hæ- reticis patriam omnem auferre potestatem, & filios sui ju- ris sui que arbitrii facere, ne parentes sua auctoritate, suo- que exemplo filios in eandem hæresim traherent, & filii, juris auctoritate fulsi, possint, si velint parentibus res- sistere, tamquam qui jam sunt ipso jure ab illorum potes- tate liberati. Propter hanc causam multi Theologi, è quo- rum numero est Sanctus Thomas, docent non esse licitum infidelium parvulos invitit parentibus baptizare: quia ta- lis baptizatio (ut ajunt) verteretur postea in coartumelliam fidei Christianæ, quia parentes nutritrent filios in errore suo: qui sic in pueritia nutriti, numquam postea fidem Catho- licam, quam in baptismo susceperunt, perfecte tenent. Alii tamen Theologi, inter quos recensetur Doctor subtilis Scotus, qui oppositam sententiam tuentur, prop- ter eandem causam censent, filios infidelium, qui invi- tis parentibus fuissent ex imperio principis baptizati, esse statim post baptismum à parentum cura & potestate remo- vendos, ne si apud illos manerent, à parentibus suis in eundem infidelitatis errorem traherentur, quo illi sunt infecti. Si justum est, ut patriæ potestatis dominium à pa- rentibus hæreticis auferatur, ne ipsi filios suos eadem hæ- resi inficiant, multo justius est, ut aliud quodlibet civil- le, & politicum dominium sit ipso jure à dominis hæreti- cis ablatum. Nam qui hoc tenent dominium pluribus no- cere possunt, quam qui solum dominio gaudent parvo, eo quod latius est dominium politicum, aut regale, quam paternum, & pluribus imperat Rex, aut Dux, aut Mar- chio, aut quisvis alius dominus, quam qui solum est pa- ter. Deinde plus potest Rex erga subditos, quam pater erga filios, & hinc evenit, ut sæpe subditi magis conen- tur Regem suum imitari, quam filii parentem. Possunt quidem Reges eo quod divitiis pollent, munera plurima dare, & quia tam potentes sunt, ut nullus subditorum illis resistere valeat, possunt subditos suos, cum eis li- buerit, variis pœnis affligere. Ex primo oritur apud infe- riores homines spes alicujus muneris recipiendi. Ex se- cundo oritur in subditis metus principis, ne videlicet cir- ca eos quod pœnarum potest, cum libuerit exerceat. Hæc duo videlicet metus, & spes solent animos hominum in

adulationem impellere, quidam enim, ut ea, quæ anxie cupiunt, assequi possint: alii vero ne pœnas, quas vehe- menter metuunt, incurrant, principibus suis: omni ex parte placere procurant. Ea faciunt, & dicunt, quæ sperant principi suo grata esse futura, ea dicere, & facere omittunt, quæ principi displicere intelligunt. Qui molibus vestiantur (inquit Salvalor noster) (Matth. 11.) in do- mibus Regum sunt. Nam in domibus Principum sunt adu- latores & qui hominibus placere student. Optime igitur, & eleganter Claudianus Poeta in lib. de quart. Honorii Au- gusti consulatu dixit.

Componitur orbis Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus Humanos edicta valent, quam vita regentis. Mobile mutatur semper cum Principe vulgus. Et libro primo de laudibus Stiliconis iterum ait: Scilicet in vulgus manant exempla regentum, Utque Ducum lituos, sic mores castra sequuntur. Ex his igitur omnibus aperitissime colligere licet, quan- tum Rex hæreticus possit subditis suis in fide nocere. Illius enim exemplum multos à fidei veritate deflectet: quia pars metu, pars amore illius, aut suarum rerum idem quod ille asseverabunt, docebant, prædicabunt. Cum Magi ab oriente venissent Hierosolymam, quaerentes Regem Judæorum tunc recens natum, turbatus est Herodes, & omnis Hierosolyma cum illo. (Matt. 2.) Non est mirum, quod Herodes, qui alienigena, & tyrannus erat, turbetur audito nomine Regis, & illum perdere velit. Ita enim se res habet, ut si quis regnante ipso alterum ap- pellet ibidem regem, mille ex parte periculis exponat, atque in apertum tradat interitum.

At quod Hierosolyma audito nomine sui Regis, tunc nati, turbetur, res est admiratione digna: quia magis ob eam rem lætari, & exultari debuisset, quam turbari: quia sciebat Herodem alienigenam esse, & nihil de regni jure habentem. Quo fit, ut de ejectione tyranni, & regis adventu lætari debuisset, sed si Claudiani sententiam ad memoriam revocemus, facile intelligemus ita fieri oportuisse, ut Rege turbato, omnis Hierosolyma simul cum illo turbaretur. Quia (ut Claudianus dixit) mobile mutatur semper cum principe vulgaris. Rege ergo hæreti- co existente necessario eveniet, ut populus in eandem hæresim trahatur. Quod si facere contempserit, multis tormentis, variisque cruciatibus ad id faciendum com- pelletur. Hujus rei plura, quam vellem, extant mani- fessissima exempla, è quibus aliqua producere decrevi, ut quæ diximus, illorum testimonio comprobemus. Multi fuerunt in populo Israel Reges idololatæ, ut Jeroboam, Baafa, Ela, Zambri, Amri, Achab, & Ochozias. His autem regnantibus, populus Idolis sacrificare non desti- tit, eo quod sequebatur perfidem Regum suorum insa- niam. In nova lege, & Evangelica multi fuerunt Reges hæretici, qui Ecclesiam Catholicam acerrime vexaverunt, adeo ut illorum causa multi à fide Catholica defecerint. Julianus Apostata, postquam fidem deseruit, Ecclesiam Catholicam plusquam quilibet alius Rex gentilis est perse- quutus. Multos fidem negare cogit, multos ad marty- rium perduxit. Reges Gothorum eo quod Ariana hæresi erant infecti, magnam ob hanc causam Christianorum fra- gem fecerunt in Italia, & Hispania. De atroci crudelitate, quam in Christianos Vandali exercuerunt in Africa, extat historia duobus libris partita, & à Victore Episcopo conscripta. Solum unum ex Gothis, quod in Hispania con- tigit exemplum proferam: cujus meminit Beatus Grego- rius

tibus delectatur, sollicitudines querit, frequentias hominum deserit, corporis complexionibus & qualitates tam varia, ex variis parentum complexionibus fere semper oriuntur. Quoniam ex femine à parentibus in acta generationis decido, filii corpus coagulatur, & coalescit, & deinde ex sanguine matris paulatim formatur, & nutritur, & sic simul cum corpore, corporis inclinationes à parentibus recipit. Hanc sententiam duobus versiculis eleganter complexus est Baptista Mantuanus, sic inquit:

Qui viret in foliis, venit à radicibus humor, Et patrum in natos abeunt cum femine mores.

Et hinc oritur infamia, quam filii à parentibus jure contrahunt. Præsumit enim jus, & merito, filios tales esse futuros, quales eorum parentes fuisse experientia compertum est. Nam in cap. si quis 6. q. 1. dicitur quod in filiis, paterni, hoc est, hæreditarii criminis exempla metuantur. Juste igitur hæreticorum filii censentur infamati: quia merito de illis suspicandum est, ut (nisi aliunde adjuventur) in eum quo parentes infecti fuerunt, labantur errorem. Hanc tamen juris infamiam non sustinebunt filii eorum hæreticorum, qui ab hæresi respicentes, ad fidem Catholicam redierunt, & Ecclesiæ unitati adhererunt: cap. statutum 2. de hæret. lib. 6. Ex hac juris infamia, veluti ex radice quadam, aliæ pœnæ oriuntur. Hæreticus non potest esse testis, ut patet in cap. 1. extra de hæreticis, & cap. ipsa pietas 23. q. 4. Et merito repellitur hæreticus à testimonio perhibendo: quia inter multa, quæ in teste requiruntur, est fama, cap. testimonium extra de testi. & attest. & cap. præterea de testibus cogendis. Et Isidorus in lib. Ethymologia- rum de testis qualitate loquens, ait: „ Si vita bona de- „ fuerit, fide carebit. Non enim potest justitia cum sce- „ lerato homine habere commercium.“ Hæc ille. Et habentur hæc verba in cap. Forus extra de verb. signific. Deinde (ut dicitur de regulis juris lib. 6.) semel malus semper præsumitur malus: præsertim eodem genere mali. Hæreticus igitur, qui falsum dedit de fide Catholica testimonium, juste præsumitur de qualibet alia re falsum daturus testimonium. 2. quæst. 7. cap. Non potest. Præterea: Sapiens Ecclesiastici, cap. 34. ait: „ A mendace quid verum dicitur? Quibus verbis satis aperte Sapiens docet non esse reddendam homini mendaci fidem. Non est ergo præbenda fides hæretico: quia semel in gravi, perniciosoque mendacio est deprehensus, & inde confitens est, ut non sit accipiendus in testem. Hoc tamen non absolute, & universaliter accipiendum est: quia inde excipienda est causa hæresis, in qua hæreticus contra hæreticum potest reddere testimonium, cap. in fidei favorem, de hæreticis, libro sexto, & secunda quæstione septima, cap. si hæreticus. Nam regula illa, qua docetur socios criminis non esse in testes admittendos, sicut fallit in crimine læsæ majestatis, & simoniz: ita etiam fallit in crimine hæresis. Hæreticus igitur contra hæreticum testificari potest, non tamen contra fidelem. Ex quo infero, quod hæretico semiplene probanti contra Catholicum Christianum non deferatur juramentum in supplementum semiplenæ probationis: quamvis oppositum sit lege statutum. Nam lege præcipitur, ut semiplene probanti deferatur juramentum necessarium in supplementum probationis, leg. Admonendi, ff. de jurejurando: leg. in bon. fidei, C. de rebus creditis, & cap. super eo, extra de his, quæ vi, metusve causa fiunt. Tale autem juramentum non est concedendum hæretico semiplene probanti contra Christianum: quia tale juramentum supplet

locum casusdam testimonii. Hæreticus autem cum à testimonio reddendo sit jure repulsus, consequens est, ut juramentum non sit illi deferendum ad supplementum semiplenæ probationis. Præterea, anequam juramentum alicui deferatur ad suppleendam semiplenam probationem, inspicienda prius est personæ qualitas, & anxie examinanda, ut scilicet vir bonus ille sit, verax, fidelis, timens Deum, qui pro magno aliquo pretio pejerare non audeat. Quæ omnia cum longe abint ab hæretico, consequens est, ut non sit illi deferendum juramentum ad supplementum semiplenæ probationis. Eadem etiam ratione hæreticus Catholicum accusare non potest. 2. q. 7. cap. alieni, & cap. Pagani. Qui alterius crimina juste accusare, aut reprehendere voluerit, oportet, ut ab eisdem criminibus ipse sit alienus, 3. q. 7. cap. qui sine, & cap. Postulatus. Et hoc ipsum egregius Poeta eleganter docuit, sic inquit:

Loripedem rectus irrideat Æthiopem albus.

Altera est adhuc hæreticorum pœna, quæ etiam ex prædicta juris infamia deducitur, & est privatio cujuscumque dignitatis, & officii publici, & cujuscumque beneficii Ecclesiastici, & indignitas, & inhabilitas, ad aliquid horum in posterum suscipiendum. Circa hæc tamen oportet admonere lectorem, quod hæc duo, videlicet, privatio susceptorum, & indignitas ad suscipiendam, non sunt æqua lance pensanda. Nam privationem officii, aut beneficii suscepti, non incurrit ipso jure hæretici: sed solum postquam ad illam privationem fuerint à Judice condemnati. Nam verba, quæ habentur in cap. ad abolendam, paragraf. presentis, extra de hæreticis, non expriment sententiam à jure latam, sed sententiam à Judice ferendam, sic enim ibidem dicitur: totius Ecclesiastici ordinis prerogativa nudetur; si dixisset, sit ipso facto, aut ipso jure nudatus, sententiam expressisset latam: dicens autem: totius Ecclesiastici ordinis prerogativa nudetur, aperte expressit sententiam à Judice ferendam. Et in cap. Excommunicamus, §. credentes, verba ejusdem notæ ponuntur, quæ ferendam expriment sententiam, & non latam. Quo fit, ut hæreticus presbyter antequam per Ecclesiasticum Judicem sit Ecclesiastici ordinis prerogativa nudatus, & per Episcopum degradatus, non possit propter crimen hæresis, aut propter quodvis aliud crimen à seculari potestate puniri. Et si quis Judex secularis ante hujusmodi prerogativæ denudationem in talem presbyterum hæreticum per se, aut per alium, manus injecerit violentas, incideret in sententiam canonis: Si qui suadente diabolo. Quia ille talis quamvis hæreticus, gaudet Ecclesiastici ordinis privilegiis, quousque per sententiam competentis Judicis Ecclesiastici sit illis privatus. Sequitur etiam inde hæreticum, qui aliquod officium publicum habet, antequam officio spoliatur, facere fructus, qui ex tali officio proveniunt, suos, qui statim in jus, & potestatem fisci succedunt. Hujus colorarii pars prima inde est manifesta, quod hæreticus ille adhuc retinet officium, & habet in illo veram, & plenam possessionem, & per consequens habet etiam jus ad fructus percipiendos. Tale enim jus ad fructus recipiendos oritur ex possessione officii: ergo cum nullo alio jure sit impediens ne tales fructus percipere possit, sequitur inde necessario, ut officio retento, retineat etiam fructuum receptionem, quæ ex tali officii possessione oritur. Nam concessio principali, conceditur quidquid ex illo pendet, nisi sit aliunde sublatum. Hoc autem non eveniret, si hæreticus esset ipso jure omni officio privatus. Tunc enim fructus

An justum sit, ut propter hæresim patris, filius Catholicus puniatur.

Multi sunt qui injustum, & plus satis acerbum esse putant, ut hæreticorum filii Catholici propter suorum parentum hæresim, eisdem quibus illorum parentes pœnis puniantur, ita ut sint infames quemadmodum illi, inhabiles ad officia, aut beneficia recipienda peninde ac illi, bonis omnibus paternis, quæ sibi hæreditario jure convenire poterant, privati ut illi. Vidi enim ego multos in Flandria, cum illic ante ann. 10. versarer, qui licet justum esse censebant hæreticos puniri, male tamen illos habebat parentum hæreticorum pœnas ad filios eorum esse protensas, accusabantque eam hæreticorum punitionem, quæ canonice, & civili jure præcipitur: & Hispaniam impetebant, propterea quod audierant omnia jura, quæ à Summis Pontificibus, aut à Cæsaribus sunt contra hæreticos statuta, ad unum jusque in Hispania observari, & in me ramquam in jusque propagatorum vehementer invehebant. Dicebant enim indignum esse, ut quis sine culpa puniatur, cum Deus (ut agebant) neminem pœna aliqua citra culpam afficiat. Et hoc ipsum testimonio confirmabant Augustini dicens: „ Non prius Deus est ultor, quam aliquis sit peccator. Deinde ad suæ sententiæ robur addebat illud, quod Deus per Ezechielem Prophetam loquutus est, sic dicens (cap. 18.) *Attama quæ peccaverit, ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris: & pater non portabit iniquitatem filii: justitia justis super eum erit, & impietas impiis super eum.* Quibus verbis aperte (ut dicebant) nos docet Deus neminem pro peccato alieno puniendum, sed unumquemque pro suo. His ergo rationibus, quæ sibi videbantur tamquam nodus Hercules indissolubilis, illi moti dicebant, injustum esse, ut hæreticorum filii pro parentum iniquitate puniantur. Sed certe illi, & quotquot alij ita sentiunt, tota aberrant via, & suam magis, quam Catholica fidei causam agere videntur. Istorum error inde vincitur, quod sic sentientes non solum jura, & decreta humana, sed etiam Deum accusare, & criminari videntur, qui sæpe filios pro peccatis parentum puniit, ipsomet testante, qui ait, (Exod. 20.) *Ego sum Dominus Deus tuus fortis zelotes, visitans iniquitatem patrum in filiis in tertiam, & quartam generationem eorum, qui oderunt me.* Visitans dixit: pro eo quod est, puniens, aut verberans, aut castigans: Nam cum aliquod horum erga nos in hac vita existentes, pro nostris peccatis, Dominus facit: tunc nostras visitare dicitur iniquitates. Sic enim ipsemet per David Propheta ait: (Psalm. 88.) *Si justitias meas profanaverint, & mandata mea non custodierint, visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum.* Juxta hunc modum visitare se dicit Dominus iniquitatem patrum in filios in tertiam, & quartam generationem: quia pro iniquitate parentum Deus puniit filios usque ad tertiam & quartam generationem. Filii enim res quedam sunt ad parentes spectantes, & quæ inter omnes res externas magis ipsos parentes contingunt, & propius ad ipsos accedunt. Et hinc evenit, ut illorum morbos ægre ferant, peninde ac suos, de illorum advertebat doleant, ut de sua, de illorum morte vehementius lugeant, quam de cujuslibet suppelletilis amissione. Deinde filii sunt sub dominio, & potestate parentum constituti,

officii acquirere non possent: quia nullum jus ad illos fructus percipiendos haberet. Alteram colorarii partem probat: quia hæreticus ipso jure privatus est dominio omnium bonorum suorum, & in ejus locum subrogatus est fiscus, cap. cum secundum leges, de hæretic. lib. 6. Et inde sequitur, ut fructus, quos hæreticus acquirat, eo ipso quod sunt ab eo acquisiti, transeant in jus, & potestatem fisci. Potest etiam aliter dici, quod hæreticus licet non sit ipso jure officio & dignitate privatus, est tamen ipso jure privatus jure percipiendi fructus, qui ex tali officio proveniunt, & jus illud succedit fisco sicut cætera bona. Et juxta hunc modum dicitur, hæreticus quamvis officium retineat, non faceret fructus suos: sed fiscus ratione juris, quod sibi propter hæreticum competit, eos acquireret sibi. Et forte hæc ultimum est magis juri consonum, propterea quod in cap. final. extra de hæret. dicitur esse absolutos ab omni debito dominii, fidelitatis, & obsequii, qui hæreticis erant quomodolibet obligati. Et inde consequens est, ut qui hæretico ratione alicujus officii publici, aut dignitatis aliquos redditus debebat, sit absolutus à tali debito reddendo, & ita hæreticus non habebit jus ad tales redditus exigendos: & per consequens numquam faciet fructus suos, quamvis officium, aut dignitatem retineat. Hæreticus igitur licet non sit ipso jure privatus officio, aut dignitate, est tamen ipso jure privatus, jure exigendi fructus, aut redditus, qui sibi ratione officii, aut dignitatis competere poterant, & jus illius succedit fisco, donec hæreticus sit officio illo, aut dignitate privatus. Alia pœna, quæ est indignitas, aut inhabilitas ad officia publica, aut Ecclesiastica beneficia recipienda, duriore, & acerbiorè confringitur lege. Nam ut hanc pœnam incurrat hæreticus, non est opus aliqua Judicis sententia, quæ illum censet indignum, aut inhabilem: sed postquam factus est hæreticus, ipso jure censetur inhabilis, & indignus ad talia officia publica, aut Ecclesiastica beneficia recipienda. Hoc aperitissime docetur in cap. Quicumque, §. hæretici de hæret. lib. 6. Ibi enim decernit Papa, ut si secus actum fuerit, sit irritum, & inane. Nec solum ille indignus, & inhabilis est: sed etiam omnis vir Ecclesiasticus, qui ad preces hæretici, vel fautoris dignitates, personatus, & quæcumque alia Ecclesiastica beneficia est adeptus, est illis omnibus ipso jure privatus, & indignus, & inhabilis factus ad alia in posterum recipienda. Quæ pœna solos illos respicit, qui seiverunt talia beneficia ad hæretici preces sibi conferri. Nam qui ignoravit beneficium sibi ad preces hæretici esse collatum, licet sit ipso jure tali beneficio privatus, non tamen ad alia in posterum recipienda censetur inhabilis. Quæ omnia aperte docentur in cap. Quicumque, §. ad hæc de hæreticis, lib. sexto. Hæc pœna indignitatis, & inhabilitatis non in solis parentibus sistit, sed ad filios usque protenditur, & aliquando latius evagata etiam in nepotes grassatur. Quæ diversitas ex solo parentum discrimine oritur: quia si pater est hæreticus, indignitatem, & inhabilitatem suam ad filios suos, & ad nepotes usque mittit. Si vero sola mater est hæretica, solis filii, & non nepotibus inhabilitatem impingit. Et si pater, aut mater postquam alter eorum fuit factus hæreticus, deinde penituit, & hæresim deserens, Ecclesiæ unitati se firmiter conjunxit, neque nepotes, neque filii ullo pacto censentur ad Ecclesiastica beneficia indigni, aut inhabiles. Hæc omnia habentur in cap. Statutum secundo de hæreticis lib. 6.

rius lib. 3. dialog. cap. 31. quod satis esse arbitror ad ostendendum, quantum sit Rex hæreticus Ecclesiæ Catholicæ noxius. Leovigildus Hispaniarum Rex, & à Gothis originem trahens, Ariana hæresi cum fuisset infectus, eadem hæresi filios suos, regnumque suum inficere nitebatur. Ermenegildus autem primogenitus ejusdem Regis filius, ac proinde totius Regni hæres, suadente beato Leandro tunc Hispaliensi Episcopo, hæresim Arrianam deserens, ad fidem Catholicam conversus est. Quem pater Arrianus, ut ad eandem revocaret primum blanditiis, & præmiis, deinde minis, & tororibus erga illum egit. Quæ omnia cum non possent animum illum constantissimum à fide Catholica, vel tantillum deflectere, iratus pater illum prius hæreditario jure regni privatam in vincula, & carceres conjecit. Adveniente autem Paschatis festo, quo ex timore, & Ecclesiæ universalis decreto, Christiani sacrum Domini corpus sumere solent, perfidus pater Arrianum Episcopum ad filium misit, ut ex manu illius communionem perciperet, ut per hoc illum sibi pater conciliaret. Sed vir Deo plenus Ermenegildus hoc facere recusavit, & Episcopo venienti exprobravit, & magna constantia illum à se duris increpationibus repulit. Hoc cum Arrianus pater audiret, infremuit: statimque paternæ pietatis oblitus apparitores suos misit, qui filium suum occiderent, quod & fecerunt. Quid quæso hæreticus contra fideles facere desitisset, qui pro tuenda hæresi Arrianæ proprio filio non pepercit, sed carnificibus tradidit illum? Qui tam atrociter infectus est proprium filium, putatis æquiori animo cæteros prosequeretur fideles? Sed opus est, ut ex nostro hoc sæculo aliqua proferamus exempla: quoniam hæc magis, quam reliqua, quæ jam præterierunt, animos intuentium movere poterunt. Cum Martinus Lutherus annos, ab hinc triginta, suos in Saxonia effundere cœpisset errores, statim illi acquievit Fredericus Dux Saxonum, cujus exemplo, & auctoritate populus motus in eandem lapsus est hæresim. Idem contigit Lantgravio Hæsiæ Philippo. Merito igitur decretum est, ut Rex, aut quisvis alius secularis dominus factus hæreticus, ne populus fidelibus sibi subjectis nocere possit, sit ipso jure dominio regni, & qualibet alia seculari potestate privatus.

CAPUT IX.

De alia Hæreticorum pœna, quæ est infamia, & de cæteris, quæ ex illa sequuntur.

Inter alias pœnas, quibus Ecclesiæ hæreticos merito puniendos fore decrevit, infamia recensetur, quæ tanto cæteris pœnis gravior æstimari debet, quanto fama reliquis omnibus merito antepositur transitorii bonis: *Melius est nomen bonum* (inquit Salom. Prov. 22.) *quam divitiæ multæ.* Hoc autem bono nomine privatus est, quisquis hæreticus est, sive occultus ille sit, sive manifestus. Hoc tamen interest inter occultum hæreticum, & manifestum: quod occultus hæreticus sola juris infamia censetur infamis, & non infamia facti: quia ejus crimen cum nondum sit manifestum, famam illius tollere non valet. Hæreticus autem manifestus, & infamia facti, & infamia juris judicatur infamis. Infamiam facti incurrit quisque per criminis sui manifestationem, & tanto graviorem incurrit infamiam, quanto gravius est crimen, quod commisit, & tanto majorem, aut latiore, quanto peccatum est pluribus manifestum. Non est enim eadem mensura

metiendi infamiæ gravitas, & ejus latitudo, sive extensio. Nam si Petrus grave aliquod crimen paucis manifestum committat, & Joannes leve aliud crimen multis scientibus perpetraverit, infamia Petri gravior censetur, Joannis vero major, aut latior.

Quo fit, ut infamia facti, quam hæreticus ex criminis sui manifestatione incurrit gravissima sit censenda: quia hæresis (ut supra libro primo, capitulo secundo docuimus) inter gravissima recensetur peccata. Infamia juris est illa, ad quam ex juris decreto aliquis damnatus est. Sunt enim peccata aliqua, quorum quilibet, si quis committat, jure ipso censetur infamis, ut qui exercet improbum sænus, exigens usuras usurarum, tertio quæst. 7. §. Porro. Et qui contrahit simul cum duobus, vel qui simul duas habet sponas, lege, quid ergo. ff. de his, qui not. infam. & capitulo, Nuper à nobis extra de bigamis. Et qui locavit operas suas, ut pugnaret cum fera. ff. de postulando, lege prima, §. bestias. Et generali eloquutione quisquis per sententiam Judicis damnatus est de crimine publico, ipso jure censetur esse infamis. Hoc autem ultimum solum censetur verum, quando damnatus est per sententiam definitivam, non autem per sententiam interlocutoriam, & quando damnatus est ab ordinario Judice, & non si damnetur ab arbitro, leg. quid ergo, §. Ex compromisso, ff. de his, qui not. infam. Hæresis autem utroque jure, & civili, & canonico publicum dicitur crimen, cujus denunciatio, vel accusatio non solum personæ, quæ ex crimine illo aliquam partem est jacturam: sed cuilibet ex populo competere potest. Sunt enim aliqua peccata à jure signata, quæ propter illorum gravitatem ab omnibus accusari possunt, ne maneant impunita; ut sunt homicidia, parricidia, adulteria, crimen læsæ majestatis. Atque ideo publica dicuntur crimina: quia ad publicam spectat utilitatem, ut talia puniantur: quoniam nisi id fieret, plurima inde reipublicæ evenirent incommoda. Nullum est autem hæresis criminis nocentius, & quod gravius reipublicæ incommodare possit. Propter quod Paulus de hæreticis loquens, dixit (2. Tit. 2.) *Sermo eorum, ut cancer serpit.* Merito igitur dicitur quilibet ex plebe de crimine hæresis accusare potest: ne licentiosa impunitate amplius grassetur, & totam suo veneno inficiat reipublicam. Ea enim, quæ in religionem divinam committuntur, omnium respiciunt injuriam. leg. Manichæos. c. de hæreticis. Quæ autem omnibus inferunt injuriam, ab omnibus accusari possunt. Quo fit, ut crimen hæresis ab omnibus possit accusari, & inde sequitur, ut juxta juris civilis regulas, & præcepta, inter publica crimina sit recensendum. Jure autem canonico id multo apertius ostenditur: quia secundum jus canonicum, omne crimendicitur publicum, quoniam ad publicam spectat utilitatem, ut nullum crimen sit impunitum, ut patet per cap. crimina de colluf. de te. juncta glossa. Unde consequens est, ut quisquis ab Ecclesiastico judice de crimine aliquo est damnatus, sit eo ipso infamis, ac si damnaretur de crimine publico. Quod (ut notat Angelus de Aretio, Institut. de suspecti. tu. §. suspectus) eo solo casu est verum, quando talis damnaretur propter dolum, non propter culpam. Quisquis ergo de hæresi damnatus est, utroque jure censetur infamis, & tanto magis quanto hæresis cæteris peccatis est pejus. Sed dubium est, an hæreticus antequam de crimine hæresis à Judice damnetur, sit ipso jure infamis, an requiratur, quod sit prius de crimine hæresis damna-

tus, ad hoc, ut infamiam juris incurrat. Et forte alicui videbitur hæreticum ante damnationem non esse dicendum infamem: quia regulare esse dicitur in criminibus publicis, quod nunquam in illis incurritur juris infamia; nisi post Judicis Ordinarii sententiam definitivam lege prima, ff. de his, qui no. infam. & notat. Dinus in regula, infamibus, & Panor. in cap. Testimonium, de testibus, & in capit. exceptionem, de exceptionibus. Sed his non obstantibus, mihi videtur dicendum hæreticum ante damnationem esse ipso jure infamem. Ad quod dicendum aliquibus persuadeor rationibus. Primo quidem inde moveor, quod credentes hæreticorum, & eorum receptatores, qui propter hoc excommunicati, satisfactionem congruam infra annum reddere neglexerunt, velur hæretici reputantur: ut patet in capitulo, Contumaciam, de hæreticis libro sexto. Inter cæteras autem pœnas, quibus hujusmodi credentes, & receptatores hæreticorum à jure puniuntur, una est, quod ipso jure sunt infames, ut patet in capitulo Excommunicamus, §. credentes, extra de hæreticis. Quibus verbis aperte insinuat hæreticum omnem esse ipso jure infamem. Præterea, propter quod unumquodque tale (ut ait Aristot.) & illud magis: ergo si credentes, & receptatores hæreticorum sunt propter hæreticos ipso jure infames, oportet, ut hæretici ipsi, propter quos est illis hæc pœna inflata, sint etiam ipso jure infames. Rursum omnia, quæ conveniunt his, qui sunt ipso jure infames (ut ex sequentibus patebit) conveniunt etiam hæreticis. Consequens est igitur, ut hæretici censentur ipso jure infames. Nec opus est declaratione aliqua, aut criminis condemnatione: sed eo ipso, quod facti sunt hæretici, juris infamiam incurunt. Quemadmodum supra diximus de dominio bonorum omnium, quod à die commissi criminis, abque aliqua alia damnatione, aut declaratione, hæreticum amississe ostendimus. Et justum quidem erat, ut talem infamiam ipso jure incurrent hæretici: quoniam hæresis crimen multo gravius est omnibus illis, quæ supra recensuimus, propter quorum quodlibet ipso jure incurritur infamia: ergo multo justius erat, ut propter hæresim juris infamia incurrat, quæ propter reliqua omnia. Quod autem dicitur regulare esse in criminibus publicis, ut nunquam propter illa incurrat infamia, nisi post Judicis Ordinarii sententiam: quamquam veritatem habeat in reliquis omnibus criminibus, fallit tamen in illis, quæ sunt à jure notata, quæ si quis commiserit, est ipso jure infamis. Ex istorum numero (ut diximus) est crimen hæresis. Quo fit, ut hæreticus etiam ante damnationem sit ipso jure infamis. Hæc pœna non solum ipsos hæreticos, sed etiam illorum filios punit, ita ut parentum hæreticorum filii, quamvis fideles, ipso jure censentur infames. Et merito quidem hanc pœnam ad filios usque extendendam esse definitum est. Quia sicut gloria, & nobilitate parentum gaudent filii, ita justum erat, ut è contrario parentum ignobilitatem, dedecus, & infamiam in seipsis sentirent. *Gloria filiorum* (inquit Salom. Prov. 17.) *parentes eorum.* Nam qui à parentibus bonis genitus est, naturalem quandam inclinationem ad bonum ut in plurimum ab ipsis parentibus suscipit.

Quoniam ab illis corporis complexionem deducit: quæ si bona est, non parvum est ad virtutem adjutorium, & incitamentum. Unde Aristoteles libro primo Politicorum, capitulo quarto ait: *Ut ex hominibus hominem, ex bestis bestiam: sic ex bonis bonum generari: sed na-*

tura quidem hoc vult, ut tamen plerumque non possit. Hæc Aristoteles. Præter illam inclinationem, quam à parentibus suscipiunt filii, inest etiam ipsis filiis naturalis quædam parentum suorum imitatio, quæ multis magnum est, semperque fuit virtutis adjumentum. Nam juvenes, qui aliquid indolis habent, ne degenerare videantur, solent majorum suorum dignitatem æmulari, ad paternarum laudum aspirare felicitatem. Sic Philippi nomen Alexandrum, sic majoris Africani gloria minorem Scipionem: Sic Julii Cæsaris fama Octavianum excitavit. Sic denique fuit Pyrrhus Achilleides animosus imagine patris. Hinc suspicio oritur de filiis, ut tales illi sint, aut saltem futuri sint, quales parentes eorum fuerunt. Et hæc est illa filiorum gloria, quæ ex parentum nobilitate, & virtute oritur, ut bonus, & studiosus ille credatur: quia bonorum est filius. Pro hæc sententia est, quod Aristoteles loco præfato, ait: Helenam apud Theodectum in sui laudem dixisse. Ex diis (inquit illa) ab utraque stirpe progenitam, quisquam appellabit servam? Et beatus Paulus in ea, quæ est ad Romanos epistola, ait: *Si radix sancta, & Ramis:* Sic ex Abraham ortus est Isaac, & ab hoc genitus est Jacob ex Tobia Seniore prodit Tobias junior atque bonus & sanctus, ac pater. Ad eundem modum de malis sentiendum est: quoniam ex pravis parentibus procedunt ferme semper filii perversti, paternæ iniquitatis imitatores, quemadmodum ex Cicuta oritur fructus virulentus, aut ex sentina aliqua defluit aqua putrida, & sordida. Et hoc ipsum Salomonis testimonio comprobatur, qui in libro Sapientiæ (cap. 4.) ait: *Ex iniquis enim omnes filii, qui nascuntur, testes sunt nequitia adversus parentes in interrogatione sua.* Tam vera semper reputata est hæc sententia, ut veteri adagio celebraretur, quod ait: *Mali corvi malum ovum.* Non sunt tamen hæc omnia tam constanti, & invariata lege firmata, ut contrarium evenire non possit. Nam aliquando accidit, ut ex bonis parentibus mali procedant filii, tamquam pestilens fructus ex arbore bona, aut aqua amarulenta de dulci fonte profluens. Sic ex Adam ortus est Cain: Ex Noe Chan: Ex Isaac natus est Esau. Et (ut ad profanas veniamus historias) Scipionis Africani filius (ut de illo refert Valerius Maximus) vecors, & ignavus fuit. Quinti Fabii Maximi Imperatoris clarissimi filius tam perditam luxuria vitam (eodem Valerio referente) egit, ut bonis omnibus paternis sit illi ab Urbano Prætoris interdictum. E contrario ex malis parentibus etiam aliquando oriuntur boni, & virtutis studiosi filii, quemadmodum rosa de spinis. Nam ex Achaz pessimo Rege, & idololatra (ut Regum narrat historia 4. 16.) natus est fidelis, & sanctus Rex Ezechias. Et Josias ille Rex sanctus, qui tulit abominationes impietatis, cujus memoria (ut inquit Ecclesiasticus cap. 49.) quasi mel indulzabitur, filius fuit impij, & idololatræ Regis Amon. Sed hæc rara sunt exempla, quod vero frequenter, & quasi semper evenit, est malos ex malis parentibus generari, & bonos ex bonis. Hujus rei tam multa, & tam aperta sunt exempla, ut non sit opus recensere. Causam vero hujus si quis nosse cupit, illi libenter offerimus. Certum est varias animorum inclinationes, ex variis corporis complexionibus oriri. Nam qui colera abundat, facile irascitur, facileque remittit. In quo pituita viget somnolentiam, & pigritiam patitur. Qui sanguine pollet, lætis gaudet, & ad omnes carnis delicias est facile proclivis. Qui bilem atram, aut melancholiam plus satis habet, tarde irascitur, tardeque remittit, læta fere omnia fugit, tristis

ti, & sunt quasi quædam parentum possessio. Unde sequitur, ut quemadmodum infirmitas, & mors servi cedit in damnum domini, cujus est servus: ita etiam afflictio filii in damnum cedat ipsius patris: potest enim pater operis filii uti, & illas locare, quemadmodum servi. Et inde necessario sequitur, ut filio, aut mortuo, aut ægrotante, damnum patitur pater, & sic in morte, aut ægrotatione filii pater puniatur, perinde ac puniretur in morbo, aut morte servi. Cum ergo Deus filios morbos, vulnera, famem, injurias, aut quodvis aliud ad verum immitit, non tam illos, quam illorum parentes in ipsis punit. Sic punitus est David in morte filii ex altero nati, ut in illo dolorem, & poenam sentiret, quem ex illicito coitu, & damnato generat. (2. Reg. 12.) Pater enim non est punitus: sed potius Deo miserante ante usum rationis raptus est, ne malitia mutaret animam illius. Mors ergo pueri quatenus misericordie: quatenus vero ad ipsum David illius parentem spectat, opus fuit punitionis, & vindictæ, per quam in eo, quod peccaverat, ille punitus est. Sic etiam parvulos Sodomæ sine ullo peccato proprio simul cum parentibus suis igne consumptos, (Genes. 19.) & parvulos cum Dathan & Abiron sine proprio peccato vivos à terra deglutitos Dominus non punit: (Num. 17.) sed potius illorum miseratus est, cum illos innocentes ex hac vita migrare compulsi: ne si in illa diutius perstitissent, patrum iniquitatum fuissent imitatores effecti, & sic graviores postea poenas sustinerent. Aliquando etiam filios peccatorum ætatis Deus pro parentum peccatis affligit, per quam afflictionem non filios, sed ipsos parentes punit. Filiis quidem talis afflictio cedit in bonum: quia per illam cautiore sunt ad futura peccata cavenda, & eorum virtus, & meritum per illam si patienter feratur, crescit. Quo fit, ut licet talis afflictio sit illis gravis, & acerba: nunquam tamen respectu illorum poena dicitur, neque punitio, secundum quod poena, aut punitio dicitur ordinem, & respectum ad culpam. Parentibus tamen comparata talis filiorum afflictio poena dicitur: quoniam pro ipsorum parentum peccato est filius inflicta, in quibus simul etiam parentes affliguntur. Hinc est, quod peccante Cham peccato irreverentiæ in patrem, filio ipsius Cham videlicet Chanaam maledixit Noe sic dicens: (Genes. 9.) *Maledictus Chanaam servus servorum erit fratribus suis.* Chanaam puer filio Cham maledixit Noe, ut per illam maledictionem gravius affligeret, & puniret Cham, cum ille videret non solum se, sed etiam filium suum à patre maledici. Et juxta hunc modum non solum filios sed etiam nepotes, & deinceps usque ad quartam generationem Dominus pro peccatis parentum affligit, ut in illis puniat avam illorum, sive proavam, sive tritavam. *Visitans* (inquit Deus Exod. 20.) *iniquitatem patrum in filios usque in tertiam, & quartam generationem.* Non dixit ultra quartam generationem: quia vita parentum raro adeo prolongatur, ut post quartam, aliam ex se illi videant generationem, per cujus afflictionem possint ipsi puniri. Nam quia afflictio filiorum pro peccatis parentum, inferitur à Deo ad ipsorum parentum punitionem: ideo congruum est, & necessarium, ut in solis illis filiis, sive generationibus fiat quas videre potest ipse peccans. Nicolaus Lyranus super Exodum hanc divinæ ultionis sententiam interpretans, data prius hac, quam nunc retulimus expositione, aliam postea subiungit, sic inquit: Alio modo intelligitur de poena æterna, quæ

infigitur filio pro iniquitate patris, in quantum est imitator paterni sceleris: ideo subditur: Usque ad tertiam, & quartam generationem. Quia sicut dictum est aliquando mali homines vident filios suos usque ad tot generationes, & sic informant eos suis malis exemplis, vel illi imitantur, quod viderunt in patribus. Hæc ille. Et eandem sententiam videtur innuere Sanctus Thomas in 2. 2. quæst. 108. art. 4. in responsione ad primum principale argumentum, ubi enumerans rationes, propter quas unus pro peccato alterius potest temporaliter puniri, sic ait: Alio modo in quantum peccatum unius derivatur in alterum, vel per imitationem, sicut filii imitantur peccata parentum, & servi peccata dominorum, ut audentius peccent. Vel per modum meriti: sicut peccata subditorum merentur peccatorem prælatum, secundum illud Job. 34. *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi: Unde & pro peccato David populum numerantis, populus Israel punitus est, ut habetur. 2. Reg. ult. Sive etiam per aliqualem consensum, seu dissimulationem: sicut etiam interdum boni simul puniuntur in temporalibus: quia eorum peccata non redarguerunt, ut Augustinus dicit in primo de Civitate Dei. Hactenus Sanctus Thomas loco supra citato. Sed salva reverentia, quæ tantis viris debetur, mihi illorum sententia non placet, nec placere poterit alicui rem bene consideranti: nisi forte ille affectu potius, quam ratione ducatur. Filius siquidem paternæ iniquitatis imitator, si pro hac imitatione puniatur à Deo, non pro peccato patris puniatur, sed pro suo: quia talis imitatio peccatum proprium est filii. Hoc autem filii peccatum quamvis non fuisset ad patris imitationem factum, nihilominus puniretur à Deo in ipso filio illius perpetratore: ergo quando fuerit ad patris exemplum commissum, etiam erit puniendum in ipso filio. Per hoc enim, quod tollitur ab eo tota facinoris culpa: quamvis quodammodo minuatur. Consequens igitur est, ut si Deus filium aliquem, propter paternæ iniquitatis imitationem, puniat: pro peccato proprio illum punire dicitur, & non pro paterno: quia talis imitatio (ut diximus) proprium est filii peccatum. Non convenit ergo talis interpretatio literæ textus ex lib. Exodi supra citati, quæ ait: *Visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam, & quartam generationem.* Tunc enim (ut ostensum est) non visitat Deus iniquitatem patrum: sed iniquitatem filiorum in ipsismet filiis. Præterea si juxta illum modum Deus puniat peccata parentum in filiis, non solum usque ad tertiam, & quartam generationem debet punire: sed in mille: quia quotquot patris iniquitatem fuerint imitati puniuntur à Deo, etiam si usque ad mille generationes illa paternæ iniquitatis imitatio progredieretur. Constat enim quod sæpe ultra quartam, & quintam generationem filii sunt patrum iniquitatum imitatores: quia sola fama, & aliorum relatu sciunt parentes suos, & avos, & proavos, & tritavos, & alios superiores ita fecisse. Pater quidem aut verbo, aut malo exemplo male instruit filium suum, & iste hanc malam, quam à patre accepit doctrinam, ad eundem modum tradit filio suo, & iste alteri, & sic deinceps usque ad multas generationes. Peccata autem ista semper vocari solent peccata illius primi, qui talia egit, ut facile est videre in tertio, & quarto libro Regum, quibus locis quum describuntur gesta Regum Israel, de multis malis Regibus idololatriæ, dicitur. *Et non declinavit à via Serboam filii Nabath**

pa-

patris sui, quia peccare fecit Israel. Qui successione ordo ultra decimam Jeroboam generationem, nedum ultra quartam protensus est. Forte aliquis cupiens Nicolao Lyrano patrocinari: dicit terminum punitiois filiorum pro peccato parentum, non esse à Deo limitatum usque ad quartam generationem, sic ut ultra nunquam progrediat talis punitio: quia ibidem non est dictum, quod visitet Deus iniquitatem patrum in filios in tertiam, & quartam generationem præcise. Quo fit, ut licet ultra decimam, & vigesimam generationem extendatur imitatio paternæ iniquitatis, possit omnis talis juxta Dei sententiam, pro peccato patris puniri. Hanc expositionem aperte expugnant ea, quæ in eadem litera textus continuo sequuntur: Nam quod postquam dixit: (Exod. 20.) *Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam, & quartam generationem eorum, qui oderunt me, statim subdit: Et faciens misericordiam in millia, his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.* Per quæ verba aperte satis docuit latissimam esse differentiam, inter punitionem malorum, & præmium bonorum. Quia peccata parentum punit in filiis usque in tertiam, & quartam generationem. Virtutes autem patrum, qui bona illorum gesta remunerat in filiis usque in mille generationes, hoc est, in valde multis. Hoc enim significavit per illa verba: *Et faciens misericordiam in millia, his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.* Deus siquidem, quia prior est ad partem, quam ad puniendum, ideo breviorum facit punitionem malorum parentum: quia filios pro paternâ iniquitate non ultra quartam generationem punit. Bonis vero parentum operibus, multo longiora præbet munera: quia filios pro parentum virtutibus post multas generationes beat, & muneribus variis donat. At si Deus visitat iniquitatem patrum in filios, non solum in tertiam, & quartam generationem, sed etiam in mille: nulla jam esset differentia inter punitionem malorum, & remunerationem bonorum: quum etiam illa (juxta Lyranæ expositionem) debeat in mille, & innumerare extendi generationes sicut ista. Rursum sicut lege divina docemur, neminem pro bono alterius esse salvandum, ita etiam inferuimus, neminem pro peccato alterius esse perpetuo damnandum. Nam Paulus de omnium sine malorum, sive bonorum retributione loquens ait: (Rom. 2.) *Reddet unicuique secundum opera eius.* Non ergo secundum opera parentum. Et iterum: (Rom. 14.) *Unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo.* Vide quod dicit pro se. Filius ergo non reddet rationem Deo pro parentibus suis. Et Sapiens ait: Cap. 11. *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.* Unde sequitur: ut filius non sit torquendus in æternum per ea, quæ parentes eorum peccaverunt. Hæc igitur Nicolai Lyranæ sententia, quæ dicit poenam æternam infligi filio pro iniquitate patris, in quantum ille est paterni sceleris imitator, non est ullo pacto toleranda: sed quæ male, aut saltem minus caute super Exodum loquutus fuerat, correxit super decimum octavum capitulum Ezechielis Prophætæ, dicens filium puniri poena spirituali, & æterna pro peccato patris occasionaliter: quia peccatum patris præbuit filio occasionem peccati, pro quo filius tandem punitus est. Nam in illo loco Nicolaus Lyranus hæc, quæ sequuntur ait: Sciendum tamen quod filii parentum malorum frequenter imitatores sunt paternorum scelerum, eo quod sunt inter eos nutriti, & facta parentum habent in auctoritate majori, & sic frequenter puniuntur etiam corporaliter, & spiritualiter

Tom. II.

pro peccato parentum: occasionaliter tamen in quantum accipiunt ab eis exemplum: sed pro peccatis propriis simpliciter. Hæc ille. In quibus verbis, aut quod super Exodum male dixerat, correxit, aut quod illic obscure dixerat, hic clare exposuit. Beatus Thomas cautius loquutus est: & ideo verba illius non tanta indigent executione, aut interpretatione. Nam vir sanctus loco supra citato, aperte fatetur neminem pro peccato alterius, esse poena spirituali puniendum. De hoc tamen inter illum & Nicolaum Lyranum convenit, quod ille etiam docet filium esse pro peccato patris temporali poena puniendum, quando peccatum patris derivatur in filium per imitationem, hoc est, quando filius est paterni sceleris imitator. Sed quia (ut diximus) illa paternæ iniquitatis imitatio proprium est filii peccatum: quamvis illius occasionem præbuit pater: ideo consequens est, ut tunc etiam temporaliter filius pro peccato suo, & non pro paterno puniatur. Et eodem modo dicendum est de peccato alicujus, quod derivatur in alterum ratione consensu, vel dissimulationis, ob quam causam (ut dicit Sanctus Thomas) aliquando boni puniuntur cum malis: quia illorum peccata non redarguerunt. Qui in peccatum alterius consentit, proprium committit peccatum: & ideo propriam exigit poenam & similem illi, quam meretur si qui scelus perpetravit. Ideo Paulus de peccatoribus loquens, ait: (Rom. 1.) *Qui talia agunt, digni sunt morte, non solum quia ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Proprium etiam committit peccatum, qui alterius peccatum dissimulat, & non corripit, aut arguit, quum arguere teneretur: quia is pro consentiente apud Deum, & homines æstimatur. Nam Glossa ordinaria super illum Pauli locum, quem nunc proxime citavimus ait: Consentire est flere, cum possis arguere. Et Leo Papa Epist. 71. cap. 15. Qui alios, cum potest, ab errore non revocat, seipsum errare demonstrat. Quæ verba habentur extra de hæreticis, cap. Qui alios. Si consentientes, & dissimulantes, proprio peccato consentiant, & dissimulant, convincitur inde, ut si cum aliis criminum perpetratores simul puniantur pro peccatis propriis puniantur, & non pro alienis. Potest tamen hæc B. Thomæ sententia etiam excusari, & optime exponi, ut qui illum tamen velit, facile possit, dicens B. Thomam non negare filium paterni sceleris imitatorum esse pro peccato proprio puniendum. Sed ultra dicit esse etiam pro peccato patris puniendum, ita ut filius qui patrem in scelere imitatur simul pro suo, & pro paterno puniatur peccato. Et huic sententiæ favet Augustinus in prima expositione (duas enim fecit) super Psalm. 108. in versu: *Fiant nati ejus in interitum,* sic dicens: *Quem, admodum bonorum imitatio facit, ut etiam propria peccata deleantur, sic malorum imitatio facit, ut non solum sua, sed etiam eorum, quos imitatur sunt merita sortiantur.* Hæc Augustinus. Qui quamvis loquatur de imitatore solo, qui tamen Beato Thomæ patrocinari cupit, oportet, ut idem dicat de consentiente, & dissimulante, ita ut iste consentiens, sive dissimulans, non solum puniatur pro suis peccatis: sed etiam pro illis, quibus consentit, aut quæ dissimulavit. Sed juxta hanc expositionem difficilis adhuc manebit questio de filio paternam iniquitatem imitante. Quare non puniatur pro peccato alterius, quem imitatur, sicut puniatur pro peccato paterno? Si quis vero concedat etiam hominem puniri pro peccato aliorum, quos imitatur: sicut pro peccato paterno, causam suscipiet difficillime sustinendam. Quoniam hoc dato, oportebit etiam concedere, ut si

6g

mil-

milie homines quis in aliquo scelere imitetur, non solum pro suo peccato: sed etiam pro peccatis omnium illorum, quos in eodem scelere imitatur, sic puniendus. Quod si quis concedere velit, duram certe, & nimis acerbam faceret iustitiam divinam. Ideo ut ab omnibus his angustiis liberemur, melius dicendum esse putamus, filium innocentem pro peccato patris puniri ob eam solam causam quia filius est res quedam patris ad illum spectans, & quedam illius possessio, in cuius afflictione punitur pater tamquam in re sua, & tanto magis quanto filium pater magis diligit, quam reliquas omnes temporales possessiones. Certum enim est patrem acrius puniri, quando scit filium suum privatum esse successione bonorum suorum, quam si sciret bona illa, quibus ipse privatus est, transitura in dominium, & possessionem filii. Nam licet pater acerbè doleat, propterea quod privatur dominio, & possessione omnium bonorum suorum, aliquid tamen suscipit solatium, quando scit filium suum successurum in dominio omnium bonorum suorum, talique solatio utique lenit doloris sui acerbiam. Unus enim ex doloribus, qui parentes morientes acriter pungunt, est quum præsciunt inopiam, aut injuriam, aut quamlibet aliam calamitatem, quam post mortem suam passuri sunt filii sui. Si vero filios suos incolumes, & rebus omnibus temporalibus affluentes relinquunt, levius mortem ipsam ferunt. Licet igitur hæreticorum filii affligantur, per privationem paternorum bonorum, & infamiam, & alias similes poenas: quia tamen parentes per hujusmodi filiorum afflictionem torquentur: ideo per illam parentes pro suorum criminum meritis puniuntur. Nullo itaque, alio modo admittendum est, ut filius innocens pro peccato patris puniatur, sive (ut rectius loquar) affligatur, nisi quia talem filiorum afflictionem pater graviter ferens, in illa affligitur, & puniatur. Forte contra hanc sententiam aliquis mihi objiciet, definitionem Ecclesie datam, in cap. accusatus, §. in eo vero casu, de hæret. lib. 6. Illo enim loco Papa decernit hæredes cujuscumque hæretici, cujus hæresis ante mortem non fuit declarata, debere post mortem, si tunc de hæresi defuncti confiterit, tota hæreditate, quam ab hæretico habuerant, privari. Si filius juxta hoc decretum, post mortem patris, bonis paternis privetur, non est dubium ipsam tunc pro peccato patris torqueri: nec tamen per illam filii torturam, pater puniatur, cum jam ille defunctus sæculo sit, & poenas filiorum, quas in hac vita patiuntur, jam sentire non possit. Falsum est igitur, quod numquam filius innocens pro peccato patris affligitur, nisi quia per talem afflictionem pater puniatur. Hanc tamen objectionem nos multis modis facile rejiciamus. Primo quidem non est utique quæque certum, parentes defunctos, aut alios cognatos, qui in Purgatorio, aut in Inferno sunt, non sentire eas poenas, quas sui propinqui in hoc sæculo patiuntur. Nam B. Augustinus super Psalm. 108. de hac re differens, non est ausus aliquid definire, sed hanc rem dubiam, & incertam reliquit, sic inquit: „Etiam ne hoc ad poenam Judæ pertinere credendum est, quod post ejus mortem ad mendicitatem uxor ejus, & filii ejus pervenerunt, & translati sunt, & ejecti de habitationibus suis, scrutante feneratori omnem substantiam ejus, & diripientibus alienis omnes labores ejus (nemine adjuvante, nec miserante pupillis ejus) & quod cito sunt sine posteris mortui. Numquid etiam de his, quæ in suis post mortem cujusque contingunt, ullos mortuos tangit dolor? Aut hæc saltem scire pu-

tandi sunt, quorum sensus alibi est pro meritis, seu bene, seu male? Cui respondeo magnam quidem esse questionem: nec in presentia differendam, quod sic operis prolixioris, utrum, vel quatenus, vel quo modo ea, quæ circa nos aguntur, noverint spiritus mortuorum. Et aliquibus interjectis subdit. Quapropter quod Juda tam infeliciter mortuo, ita uxor ejus vidua, & filii ejus orphani remanserunt, ut feneratori scrupante omnem substantiam ejus, & diripientibus alienis, omnes labores ejus, de suis habitationibus eicerentur: nec aliquem pupilli ejus miserantem invenirent, & in una generatione sine posteris interirent. Si hæc sentiunt mortui, cumulus malorum est: si hæc non sentiunt, formido vivorum est. Hucusque Augustinus. Qui definire non est ausus, an mortui sciant infortunia suorum charorum viventium. Si hæreticus defunctus noscitur miseris & calamitatis, quæ filii suis ob suam hæresim accidunt, non est dubium illum per illas miseras torqueri. Deinde & si defunctus lateret, quid circa propinquos vivos agatur, nulla tamen ex parte nostræ sententiæ refragatur, quod adducitur ex cap. Accusatus, §. in eo vero casu. Nam hæreticus (ut jam superius docuimus) non à solo tempore damnationis, sed ab hora commissi criminis, amittit dominium bonorum suorum, & ab eadem hora filius etiam privatus est jure succedendi in bonis paternis. Unde necessario consequitur, ut hæreticus occultus, cujus hæresis post mortem declarata est, sit dicendus fuisse ante mortem à jure punitus in se, & filiis suis: quamvis non fuerit ante mortem hanc punitionem expertus. Indignum quippe fuisset filium hæretici jam defuncti nullis suis hoc exigentibus demeritis, paterna hæreditate privare, si illius verum dominium per mortem patris acquisivisset. Sicut etiam injustum esset filium ob patris hæresim privare aliis bonis, quæ nullo hæreditario jure acceperat, sed proprio labore conquiescit. Filius autem hæretici defuncti, postquam declaratum est partem fuisse hæreticum, jure privatur possessione bonorum paternorum: quia nullum in illis habebat dominium, sed fiscus: quoniam à die commissi criminis pater (ut diximus) fuerat omnibus bonis illis privatus, & fiscus in ejus locum subrogatus. Et certe ex hoc loco fortissimum (mea sententiâ) potest sumi argumentum ad confirmandum nostram opinionem, quam supra proposuimus contra Archidiaconum dicentem, hæreticum non statim post delictum esse privatum dominio bonorum suorum: sed necessariam esse judicis sententiam, quæ declaret illum esse hæreticum. Si hoc verum esset, sequeretur inde hæreticum in hæresi occulta decedentem, habuisse dominium bonorum suorum usque ad instantis mortis suæ, cum ante illud tempus numquam fuerit de hæresi damnatus. Hoc concessio, sequitur inde necessario, hæredem, qui tali hæretico successit, habere post mortem illius verum dominium bonorum illorum, quorum erat dominus hæreticus moriens. Et inde ultra sequitur, ut quamvis mortuus declararetur fuisse hæreticus, hæres non sit sine culpa sua privandus bonis illis, quorum jam fuerat factus dominus: sicut non privatur bonis aliis quæ ipse proprio labore conquiescit. Sed cum hæres jure privetur bonis, quæ possederat hæreticus defunctus, postquam declaratum est illum fuisse hæreticum, & non privetur bonis, quæ ipse hæres ante possidebat, convincitur inde hæredem hæretici numquam illorum bonorum habuisse dominium sicut aliorum, & hoc non ob aliam causam: nisi quia hæreticus, cui ille successit, tale

dominium amittit à die, & hora commissi criminis.

CAPUT XI.

Respondetur objectionibus, quas in principio præcedentis cap. pro parte contraria proposita sunt.

Superest jam, ut illis rationibus, & argumentis respondeamus, quibus (ut in principio hujus cap. diximus) innituntur hi, qui oppositam tuerent partem. Primo quidem probant injustum esse, ut filius pro peccato parentis puniatur: quia Deus (ut dicitur) neminem pro aliena culpa punit, sed pro sua. Quales, quantosque hæc argumentatio habeat nervos, ex his, quæ diximus facile cuique constare poterit: quia manifestis scripturæ testimoniis ostendimus Deum visitare iniquitatem patrum in filios. Quapropter hæc argumentationem in illos facile retorquere poterimus, ut suo ipsorum gladio illos transfingamus, sic dicentes: Justum est, ut filius pro patris peccato puniatur: quia Deus, qui justissimus est, & errare non potest, sæpe in hac vita filios pro peccato parentum punit. Sed hæc suam sententiam illi confirmant testimonio Augustini dicentis: Non prius Deus est ultor, quam si aliquis sit peccator. Sed hoc Augustinus nihil contra nos movet: quia si bene advertantur illius verba nihil contra nos agunt. Nam licet Deus numquam se de aliquo vindicet, quin prius ille sit peccator, sæpe tamen Deus multos absque aliqua illorum culpa affligit, & torquet. Non enim sunt profus idem vindicta, sive punitio, & afflictio. Vindicta siquidem habet quemdam respectum ad injuriam præcedentem, sine qua nulla pena vindicta, aut ultio dici potest. Punitio etiam sive castigatio, si juxta veram & propriam illarum vocum significationem, quælibet illarum sumatur, respectum dicit ad culpam, sine qua nullus proprie puniri dicitur, sive castigari: quamvis acerbissime torqueatur: afflictio vero, sive tortura, nullam horum dicit respectum. Nam si quoniamlibet quis tribulationem patitur, sive propter culpam, sive sine illa, semper affligi dicitur. Justus enim, quibus Deus tribulationes varias in hac vita ad eorum meritum augendum, dat: affliguntur quidem, & torquentur: sed non puniuntur, neque castigantur: quia non est in eis culpa, quæ debeat puniri, aut castigari, & si aliqua erat, non tanta indigebat castigatione. Neque Deus de illis vindictam sumit, aut ultionem: quia non invenit in illis offensam, quam debeat ulcisci. Optime ergo loquutus est Augustinus, cum dixit: Non prius est Deus ultor quam aliquis sit peccator: quia Deus non ulciscitur nisi peccatum, quod est quedam illius offensæ: neque vindictam sumit Deus, nisi de peccatore, qui illi injuriam per peccatum irrogavit. Sæpe tamen punitio capi solet non juxta propriam illius vocis significationem: sed ut latius se extendit, pro omni afflictione, sive illa sit propter peccatum inflicta, sive absque peccato. Et hoc modo capitur nomen punitio in cap. Vergentis, §. Nec hujusmodi, extra de hæreticis. Ibi enim dicitur, quod in multis casibus, etiam secundum divinum iudicium, filii pro parentibus temporaliter puniuntur. Quo loco apertissime constat nomen punitio positum esse pro afflictione. Filii enim, qui non peccaverunt, non proprie puniri dicuntur, sed affligi: patres autem qui peccaverunt, per filiorum afflictionem puniuntur. Dixit igitur, puniuntur, pro eo, quod est affliguntur. Quamvis autem Deus neminem sine culpa puniat, aut casti-

get: sæpe tamen sine culpa affligit, aut torquet: sed hoc numquam facit sine duplici causa, & quidem justissima, licet illarum afflictionum causa frequenter homines lateat: sic etiam leges humane sæpe hominibus poenas aliquas sine culpa infligunt, numquam tamen, si justæ leges sunt, eas infligunt sine causa. Multiplex enim potest causa suffragari, ut propter illam possit aliquis merito affici aliqua pena temporalis. Primo quidem potest aliquis sine culpa sua per aliquod accidens effici ineptus, & indignus ad aliquid bonum habendum, vel consequendum. Possunt enim multa deesse alicui sine culpa sua, quæ jure exiguntur ad aliquid officium assequendum, aut recte exercendum. Ad Sacerdotium, & ad Episcopatum requiritur ætas debita, sufficiens litterarum notitia, aliquorum corporis membrorum sanitas, quibus omnibus quisque potest sine culpa sua carere, & ita sine culpa sua juste ab Episcopatu, & à Sacerdotio repellitur. Ita leprosus sine culpa sua repellitur ab administratione Ecclesie. Et propter bigamiam, aut iudicium sanguinis sine culpa sua removetur à susceptione Ordinis Sacri, & impeditur, ne exerceat jam susceptum. Propter hanc causam filius hæretici sine culpa sua repellitur ab officio, & beneficio: quia ipso jure est infamis, etiam sine culpa. Ad officium vero, aut beneficium juste assequendum, fama bona est potissimum necessaria. Secunda causa esse potest: quia bonum quo quis privatur non est bonum proprium, sed commune: & justum est, ut quis propter bonum commune assequendum, vel conservandum, patiat in se detrimentum aliquod. Quod civitas aliqua habeat Episcopalem sedem, non solum ad clericos spectat: nec solum est bonum illorum, sed bonum totius civitatis, & propter inopiam civitatis juste possit ab illa Sede Episcopalis auferri: & quamvis effectus dives, si populus, Clero etiam repugnante, & contradicente interfecisset Episcopum suum, tota civitas privanda esset dignitate Episcopatus. Quo facto Clerus totus afficietur pena, & patietur damnum sine culpa sua, non tamen sine causa: quia bonum quo tunc Clerus privatur, non erat proprium: sed commune bonum totius civitatis. Punia autem civitate, & privata tali bono, consequenter affligitur Clerus, & privatur tali bono: quia pars est corporis illius. Non est enim justum, nec ratione consentaneum, ut pars civitatis Episcopum habeat, reliqua parte eadem dignitate carente. Ob hanc etiam causam hæreticorum filii sine culpa sua non admittuntur ad officium publicum, neque ad beneficium, neque ad electionem faciendam, neque ad testimonium dicendum: quia quodlibet istorum non particulare, sed commune totius civitatis est bonum. Quoniam ad totam rempublicam spectat, ut officia publica, & beneficia habeantur à personis bonis, & omni profus mali susceptione carentibus. Tertiam adhuc Beatissimus Thomas assignat causam, propter quam juste potest aliquis sine culpa sua puniri, vel (ut rectius loquar) affligi, sive torqueri: quia scilicet bonum unius dependet ex bono alterius, & dat exemplum in crimine læsæ majestatis, ubi filius sine culpa sua amittit hæreditatem pro peccato patris, & postet idem dici de crimine hæresis, in quo etiam filius (ut diximus) amittit hæreditatem pro peccato patris. Nam quia pater propter hujusmodi crimina omnibus suis bonis privatur, quæ ipso jure sunt sicut applicata: ideo consequens est, ut filius amittat hæreditatem, quam ex bonis paternis habiturus erat. Non enim poterat filius esse hæres ejus, qui moriens nihil profus habebat. Secundo

contra hanc nostram sententiam arguunt hæretici, obijcient nos illud, quod Dominus per Ezechielem Prophetam, cap. 18. ait: *Anima que peccaverit ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filii.* Quæ Dei verba velut ex diametro cum nostra sententia, immo cum aliis ipsius Dei verbis pugnare videntur, quibus dixit se visitare iniquitatem patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem. Hoc argumentum difficile certe videtur habere nexum, & circa illorum dissolutionem, à multis doctissimis viris anxie factis laboratum est. Nam aliqui (ut Hieronymus refert) dixerunt verba illa Exodi, cap. 20. quibus Dominus ait: *se visitare iniquitatem patrum in filios in tertiam, & quartam generationem*: non esse juxta litteram: sed parabolice intelligenda, ita ut aliud in sensu teneant, quam in verbis sonant. Sed constat non esse parabolam, vel ex eo solo, quod tunc Dominus legem ferebat, cum illa dixit, & transgredienti legem, poenam comminabatur, per quam illos ad legis observantiam perurgeret. In quibus autem ferendis nullus debet esse parabolis locus: sed nudæ, & apertæ debent esse leges, ut possint ab omnibus intelligi. Et Beatus Hieronymus dicit numquam sibi persuasisse, ut illa verba parabolice esse putaret. Verumtamen (ut ingenue loquar) nec ipse sufficientem illorum verborum præbet expositionem. Nam illa verborum divinarum facialis dissonantia adeo vehementer Beatum Hieronymum torfit, ut illum coegerit dicere, numquam filios pro parentum iniquitatibus puniri: nisi quia sunt paternarum iniquitatum imitatores. Exponens siquidem, 18. caput Ezechielis Prophetæ postquam dixerat ea, quæ in Ezechiele habentur, in faciem pugnare cum his, quæ citata sunt ex lib. Exodi: hæc, quæ sequuntur, ait: Et nos usque in præsentem diem putamus, duo testimonia Exodi, quæ supra posuimus non esse parabolam: sed simplicem explicare sententiam. Et quamquam non auderemus quippiam dicere, nec vas fictile loqui contra figulum: quare ita, vel ita me fecerit, tamen scandalum patiebamur occultum quod injustitia videretur Dei, alium peccare, & alium luere peccata. Si enim reddit peccata patrum super filios in tertiam, & quartam generationem: injustum videtur, ut alius peccet, & alius puniatur: sed ex eo, quod sequitur. His, qui oderunt me, comminationis, sive præcepti scandalum solvit. Non enim ideo puniuntur in tertiam, & in quarta generatione, quia deliquerunt patres eorum: cum patres potius, qui fuerunt peccatores, puniri deberent, sed quia patrum extiterunt emulatores, & oderunt Deum, hæreditario malo, & impietate in ramos quoque de radice crescente. Hactenus Hieronymus. De hac tamen expositione ille non adeo securus & quietus mansit, ut per illum satis sibi, aut aliis fecisse crediderit: sed serapulus aliquis de hac re illum semper pupugisse videtur. Quoniam postquam præfatam dixerat expositionem, & multa verba circa hanc rem expenderat, tandem hæc quæ sequuntur subiicit. Hoc interim (inquit ille) de proverbio, sive parabola dixisse sufficiat, quod lex, & Prophetæ, Exodus, & Ezechiel, immo & ipse Deus, qui & hic, & ibi loquutus est nequaquam sententia discrepare videatur, aut hic corrigere, quod ibi male dixerit. Si quis autem vel meliorem, vel alterum sensum poterit reperire, qui contrariorum inter se testimoniorum scandalum tollat, illius magis acquiescendum sententia est. Hæc Hieronymus. Ex cuius verbis apertissime constat, quam difficilis sit hujus perplexæ

quæstionis solutio, quæ tam acriter torfit Beatum Hieronymum, virum utique doctrina perinde ac sanctitate clarissimum. Nam variis hujus quæstionis angustiis undique præstus (ut ipse aperte testatur est) scandalum patiebatur occultum, nesciens in quam se vereretur partem, ubi securus possit sine alterius partis impedimento consistere. Tandem sententiam quæ illi visa est securior proferens, & illi non plene fidens, dixit acquiescendum esse illi, qui meliorem sensum reperisset. Quo fit, ut juxta ipsius sententiam, magis aliis posterioribus doctoribus, quam Hieronymo in hac parte credere cogamur, qui multo rectius, quam ille verum illius litteræ sensum penetrarunt, & nullam esse inter illa duo testimonia contradictionem, apertissime declararunt. Nec mirum, quoniam (ut est in proverbio) quandoque bonus dormitat Homerus, in hac præfata expositione retulit (abstinet verbo invidia) nec vera sunt, nec litteræ Exodi ullo pacto conveniunt. Tam aperta sunt in sacris litteris testimonia, quæ filios pro peccatis parentum fuisse à Deo punitos asserunt, ut nulla possint tergiversatione cæleri. Cham siquidem peccavit in patrem suum Noe, verenda illius denudata aliis manifestans, (*Genes. 9.*) pro quo peccato filius ejus Chanam maledictus est à patre suo. Quæ maledictio ex Dei sententia, & decreto processisse convincitur per hoc, quod illius maledictionis executionem Deus postea in eodem Chanam, & filiis ejus opere complevit: sed quia aliqui sentiunt Chanam non pro solo peccato patris fuisse maledictam: sed etiam pro suo: propterea quod ille prius vidit, & patri nuntiavit, ideo opus est, ut aliud multo clarius, & fortius proferam testimonium. Parvuli infantes, qui erant in Sodomis simul cum suis parentibus sunt igne combusti: (*Genes. 10.*) non tamen pro suis peccatis, quæ nulla adhuc fecerant: sed pro peccatis parentum hoc illis evenisse constat. Filium quoque David qui filii ex adulterio natus est, fuisse pro peccato patris morte interemptum, verba, quæ illi Nathan Propheta dixit, apertissime convincunt. Nam postquam David peccatum suum confessus est, dicens: (*2. Reg. 12.*) *Peccavi Domino.* Statim Propheta Nathan dixit ad illum. *Dominus quoque transiit peccatum tuum, non morietur: Verumtamen quoniam blasphemare scelesti inimicos nomen Domini, propter verbum hoc: filius qui natus est tibi morte morietur.* Filii, & filia Acham, qui furatus est de anathemate civitatis Hiericho contra præceptum Domini, simul cum ipso Acham eorum patre, ex mandato Josue interfecti sunt. (*Josue 6.*) Quo facto placatus est Dominus, qui de peccato Acham iratus fuerat. Filii Ghieci pueri Heliæz Propheta percussus sunt septa, propter peccatum patris, qui contra voluntatem Heliæz à Naaman leproso ob collatum illi sanitarium, munera accepit. (*4. Reg. 5.*) Ex his ergo testimoniis apertissime convincitur falsum esse, quod B. Hieronymus ait: numquam filios puniri à Deo in tertiam, & quartam generationem, quia deliquerunt patres eorum: sed quia patrum fuerunt imitatores. Præterea si numquam filii pro peccatis parentum punirentur: sed solum qui patres in scelere imitantur, falsum esset, quod Dominus ait in Exodo, cap. 20. *se visitare peccata patrum in filios*: quia tunc non peccata parentum: sed peccata sola ipsorum filiorum visitaret, cum illos pro suis solis peccatis puniret, & non pro paternis. Deinde ex ipso litteræ decursu constat, Beatum Hieronymum male intellexisse locum illum Exodi, & non bene illam litteram ordinasse. Nam illa verba, *his qui oderunt me*: Hieronymus dicit esse ad filios referenda,

da, ita ut filii sint, qui oderunt Deum, & ob hoc à Deo puniuntur. Ut autem clare ostendamus verba illa non ad filios, sed ad eorum parentes esse referenda, opus est: ut verba Exodi citemus, quæ multo clariora sunt, quam illa, quæ B. Hieronymus ex. 5. Deuter. cap. citat. Utrobique enim Deus eandem, verbis tamen aliquantulum diversis protulit sententiam. Littera Exodi sic habet. (*Cap. 20.*) *Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam, & quartam generationem, eorum qui oderunt me.* Constat enim illud relativum, qui, debere referri ad patres, & non ad filios: quoniam tale relativum ad idem prorsus est referendum, ad quod refertur ille Genitivus eorum. Illud autem relativum in Genitivo positum, nullo modo ad aliud, quam ad parentes (ut apertissime constat) referri potest: quoniam tertia, & quarta generatio, quæ ibi exprimitur, non est generatio filiorum, sed parentum. Ipsi ergo parentes, quorum est tertia illa, & quarta generatio, quam propter peccata parentum visitat Deus, sunt qui oderunt Deum, non filii. Ex quibus colligimus, ut etiam in littera Deuteronomii, quam Beatus Hieronymus citat, illud pronomen demonstrativum, his, non filios, sed parentes demonstrat: ita ut parentes sint, qui Deum oderunt, mandata illius non custodientes: ob quam causam Deus non solum ipsos parentes, sed tertiam, & quartam illorum generationem punit. Hanc autem comminationem Deus faciens in Exodo, hæc verba præmisit: *Ego sum Dominus Deus tuus, fortis zelotes.* Quæ verba ideo dicta esse intelligere debemus, ut per illa ostenderet nobis se tantæ esse potentia, ut non solum ipsos patres peccantes, sed etiam filios pro parentibus affligere possit. Theophylactus super nonum caput Joannis interpretans illa verba, quibus Apostoli de cæco nato interrogaverunt Christum an ille cæcus peccasset, an parentes ejus ut cæcus nasceretur. Hanc eandem quam Hieronymus reddit expositionem, ut per illam verba Ezechielis & Exodi, quæ in faciem pugnare videntur, conciliare possit. Alteram insuper addit in illo loco expositionem, quam apud nullum alium sacrum doctorem inveni. Hæc enim ait. Neque enim justum est propter parentum peccata affligi filios qui non injuste agunt: & hoc Deus docet per Ezechielem dicens. *Non erit amplius hæc parabola, qua dicitur. Patres comederunt vocem acerbam, & dentes filiorum obstupescunt.* Legem item ponit, & per Moysen. *Non morietur pater pro filio.* Sed dixerit quis. Quomodo scriptum est, quod reddat peccata patrum in filios in tertiam & quartam generationem? Dicendum igitur quod primum quidem non sit generalis hæc sententia, neque contra omnes dicta, sed solum contra eos qui egressi sunt de Ægypto. Hæc Theophylactus. Sed hæc Theophylacti sententia nullo modo mihi placere potest, propterea quod aperte convincitur esse falsa ex poena quæ inflictæ est Gaiezi propter munera quæ clanculo accepit à Naamam jam à lepra sanato. Nam post hoc scelus dixit illi Heliæz. *Lepra Naamam adherabit tibi, & semini tuo usque in sempiternum.* Hic autem Gaiezi non fuit de filiis Israel qui egressi sunt de Ægypto, sed cum post multa sæcula natus fuerit, filii autem ejus pro peccato patris puniti sunt, quamvis non fuerint paternæ iniquitatis imitatores. Manifestum est etiam quod Rex David non fuit ex numero eorum qui exierunt ab Ægypto. Et tamen pro peccato illius Deus morte punivit filium quem ex Bersabe uxore Uriæ genuerat, prout illi Nathan Propheta minatus fuerat, sic dicens: *Quoniam blasphemare scelesti inimicos nomen Domini, propter verbum hoc, filius qui natus*

est tibi morte morietur. Præterea, si consideremus illo- rum verborum circumstantiam aperte cognoscemus verba illa comminatoria non ad filios Israel, qui egressi sunt ex Ægypto esse referenda, sed ad cæteros omnes. Nam verba illa tunc dicta sunt à Deo, quando ille decalogi legem protulit: & contra primi præcepti transgressores minas illas adjecit, dicens se visitaturum iniquitates patrum in filios usque in tertiam & quartam generationem. At præcepta illa decalogi non solum egressis ab Ægypto, sed omnibus in univèrsam data sunt. Consequens igitur est, ut verba quibus præcepti sui transgressoribus minatus est, omnibus etiam dicta esse intelligantur. Non est enim vero simile, ut Deus dans præceptum, loquatur omnibus & transgressoribus minatus est, omnibus etiam dicta esse intelligantur. Non est enim verosimile ut Deus dans præceptum loquatur omnibus & transgressoribus sui præcepti statim minatus, non eisdem omnibus, sed aliquibus loquatur: præsertim cum nullum expresserit in verbis suis signum, per quod aperte ostenderit prius fuisse omnibus locutum, & postea aliquibus dumtaxat. Auctor illius operis quod dicitur *anticeimonon*, hoc esse contrarium sine contrapositionum, quisquis ille est, nam de Auctore non constat, illa verba Exodi cum verbis Ezechielis alio modo concordare nititur, sic interrogatione 15. iniquiens: Quomodo in Exod. cap. 20. scribitur. *Qui reddis iniquitatem patrum in filiis ac nepotibus,* cum è contra ab Ezechiele dicatur: *Quid est quod inter vos parabola vertitis in proverbium istud, in terra Israel, dicentes: Patres comederunt vocem acerbam, & dentes filiorum stupuerunt? Virgo ego dicit Dominus Deus, si erit ultra vobis parabola hæc in proverbium in Israel. Ecce omnes anime meæ sunt: ut anima patris, ita & anima filii, mea est. Anima que peccaverit ipsa punietur.* Responso. Redduntur peccata patrum in filiis, dum pro culpa ex originali peccato, anima polluitur prolis: & rursum non redduntur parentum peccata in filiis, quia cum ab originali culpa per baptismum liberatur, non jam parentum culpas, sed quas ipsi committimus habemus. Hæc Auctor illius libelli. Sed certe hæc responsio bis peccat. Primo quidem in eo quod ait, hominem quemquam ante baptismum pollui pro peccato primorum parentum. Nam est peccatum primorum parentum sic radix & origo unde omnia nostra mala proveniunt, non tamen ab illo tamquam à forma nos polluumus aut peccatores dicimus. Habet enim unumquodque nostrum etiam cum parvuli sumus ante baptismum proprium peccatum, à quo peccator dicitur. Quod ideo dicitur originale, quia ab illo protoplastorum peccato originem suam trahit. Nam peccatum illud primorum parentum jam non est, & quando fuit, non originale, sed actuale dici debuit: non igitur ab illo, sed quicquid à suo proprio peccato polluitur. De qua re, quia est longe à primo hujus disputationis scopo, non est opus amplius differere, præsertim in quo Concilium Tridentinum sub Paulo tertio celebratum, sessione quinta, canone tertio: satis aperte definit, & in unoquoque homine ante baptismum esse proprium originale peccatum. Deinde errat Auctor illius libri in eo quod putat hanc vocem (peccatum) in illis verbis Exodi accipi pro culpa, cum vere in illo loco non accipiatur nisi pro poena qua peccata puniuntur. Nam reddere peccata patrum in filios, idem est in illo loco, ac reddere filiis poenas quibus peccata parentum puniuntur. Est enim ibi figura Synecdoches accipiendo causam pro effectu, qua sæpissime sacra utitur scriptura. Hac peccati significatione usus est Propheta Regius, quem dixit. *Et in peccatis concepit me mater mea.* Nam

quam in unoquoque homine non sit, nisi unicum tantum peccatum originale, constat David regem non esse conceptum in peccatis quæ sint veræ culpæ. At tamen quia multe sunt peccata, quæ ipsum peccatum originale consequuntur, dixit se in multis peccatis conceptum. Propter eandem causam Paulus carnis concupiscentiam appellavit peccatum, quia est ab originali peccato causata, tamquam pœna à culpa. Deinde etsi gratis daremus, in illis verbis Exodi capi peccatum pro culpa, illa interpretatio non potest litteræ convenire, quia Deus dicit se reddere peccata patrum in filios in tertiam & quartam generationem. At peccatum Adæ non in solam tertiam & quartam generationem transmittitur, sed in omnes (ut ait Paulus) pertransit: quia in Adam omnes peccaverunt. Præterea illa verba Dei, ut apertissime constat, sunt comminatoria, ut minarum terrore homines arceret à transgressione mandati. Ridiculum autem esset minari alicui id malum, quod necessario patietur, sive bene sive male agat. At peccatum originale nullis (Christo excepto) vitare potest, quin semel labatur in illud. Non est ergo peccatum originale, quod Deus patribus minatur se redditurum in filios eorum in tertiam & quartam generationem. Superest ut jam verum illius litteræ sensum proferamus, & Ezechielem ab Exodo minime discrepare ostendamus. Primo igitur dico verba illa, quæ per Ezechielem Prophetam Dominus ait: Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur & filius non portabit iniquitatem patris, esse intelligenda de pœna æterna, quæ post hanc vitam peccatores manet. Et certe si de illa sola pœna intelligantur præfata Ezechielis verba, verissima est illorum verborum sententia. Quoniam neminem, nisi pro peccato proprio Deus æternaliter damnat. Non enim dixit, anima quæ peccaverit, ipsa panietur, sed dixit, ipsa morietur. Ex quibus patet, non de qualibet pœna sed de sola morte Deum fuisse loquutum. Mors autem, quæ ex lege pro omni mortali peccato datur, æterna est, & non temporalis. Possunt etiam verba illa Ezechielis intelligi, non solum de pœna æterna, sed etiam de pœna temporali, & spirituali, cuiusmodi est privatio gratiæ Dei, amissio juris ad gloriam suscipiendam. Nam istis pœnis nullus etiam, nisi pro suo peccato plectitur. Et certe si ea, quæ Ezechielis Prophætæ verba circumstant, plene considerentur, facile quisque, vel mediocriter doctus agnoscat de sola pœna spirituali sive æterna, sive temporali, illa esse intelligenda. Quod autem in Exodo Dominus ait: se visitare iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem, de pœna corporali & temporali intelligendum est. Panit ergo Deus pœna corporali in hac vita filios pro peccatis parentum: sed pœna æterna, & qualibet alia spirituali pœna quamvis temporali, numquam filium pro peccato patris punit, sed anima, quæ peccaverit, ipsa morietur. Unde Augustinus super librum Josue, questione octava pertractans: quare pro peccato Achani, filii ejus fuerint puniti, sic ait: „Nec tamen credendum est etiam pœnis, quæ post mortem ignorantur, „ alium pro alio posse damnari: sed in his tantum rebus „ hanc irrogari pœnam quæ finem fuerant habituræ, etiam „ si non eo modo finirentur.“ Hæc Augustinus. Qui post prædicta verba, aliquibus aliis interpositis, rationem reddit: quare Deus pœnis corporalibus hujus vite, unum pro alio puniat, & non pœnis alterius vite, sic inquit: Visibiles igitur afflictiones hominum, sive mortes: quoniam his quibus ingeruntur, & obesse & prodesse possunt: Novit Dominus in occulto providentiæ suæ, quemad-

modum iuste quibusque dispenset, etiam cum aliorum peccata in aliis videtur ulcisci. Pœnas vero invisibiles, quæ nocent, & prodesse non possunt, ita nullus (Deo iudice) pro alienis peccatis luit, sicut homines iudice luere nullus, nisi pro sua culpa istas visibiles debet. Hactenus Augustinus. In quibus verbis plenissimam, atque sufficientissimam reddidit causam, quare filium pro peccato patris Deus in hac vita corporaliter punit: quia scilicet talis filii pœna, & patri nocet, & filio ad salutem animæ suæ prodest. Nam propter eandem animæ salutem augendam, sæpe iustus absque illorum culpa Deus in hac vita corporaliter affligit. Non igitur mirum, si iustus filios malorum parentum Deus corporalibus pœnis, & transitorii cruciet, cum per illas simul & patrum peccata puniat, & salutem filiorum spiritualem procuret. Pœnis autem spiritualibus, quamvis temporales illæ sint, numquam Deus filios pro peccatis parentum punit. Ideo Beatus Augustinus quemdam Episcopum nomine Auxilium reprehendit, propterea quod Claisitanum quendam nobilem virum cum tota illius domo anathemate percussit propter quoddam ejusdem Claisitiani crimen. Nam eidem Episcopo Auxilio scribens epist. 75. postquam dixerat eundem Claisitanum talem anathematis sententiam contra se, & totam suam domum latam per litteras proprias ad eum scripsisse, hæc quæ sequuntur ait. Quibus litteris lectis non mediocriter æstuans cogitationibus magna cordis tempestate fluctuantibus, apud charitatem tuam tacere non potui, ut si habes de hac re sententiam, certis rationibus vel scripturarum testimoniis exploratam, nos quoque docere digneris, quomodo recte anathematizetur pro patris peccato filius, aut pro marito uxor, aut pro domino servus. Et pœnis interpositis subdit. Neque enim hæc corporalis est pœna, qua legitur quosdam contemptores Dei cum suis omnibus, qui ejusdem impietatis participes non fuerant, pariter infectos: tunc enim ad terrorem viventium corpora perimebantur, quandoque utique moritura. Spiritus autem pœna, qua fit quod scriptum est, (Matt. 16.) *Quæ ligaveris in terra, erunt ligatæ & in celo*: animas obligat, de quibus dictum est. (Ezech. 18.) *Anima patris mea est, & anima filii mei est. Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.* Et post pauca iterum ait: Si tibi quam iuste fiat, Dominus revelavit, nequaquam juvenilem ætatem tuam, & honoris Ecclesiastici rudimenta contemno. En adsum, senex à juvene Cœpiscopo, & Episcopo totæ annorum à collega necdum anniculo paratus sum discere quomodo vel Deo vel hominibus iustam possimus reddere rationem, si animas innocentes pro scelere alieno, ex quo non trahunt sicut ex Adam, in quo omnes peccaverunt, originale peccatum, spirituali supplicio puniamus. Hactenus Augustinus. Alia potest adhuc dari expositio illorum verborum divinorum, quæ citata sunt ex libro Exodi, & ex Ezechiele Propheta, quæ etiam ex Beato Augustino super librum Josue. Verba Ezechielis Prophætæ ad iudicium humanum referenda sunt, ita ut iudici humano non liceat filium pro peccato patris punire, aut patrem pro peccato filii: sed quemque pro suo. Quæ autem in Exodo dicuntur, ad solam pertinent divinam potentiam qui solus potest peccata patrum visitare in filios in tertiam & quartam generationem. Nam in loco præfato Beatus Augustinus huic questionem cum dubitatione respondens, sic ait: „ An aliud iudicantibus „ hominibus est præceptum, ne quemquam pro altero puniant: & Dei iudicio non sunt ejusmodi, qui alto & „ invisibili consilio suo novit quatenus extendat, etiam

temporalium hominum pœnam, salubremque terrorem? Et aliquibus sine repositis subdit: At vero si Achani ab aliquo inventus, atque comprehensus, & illius criminis reus ad iudicium Josue fuisset adductus, nequaquam curandum est hominem iudicem, vel pro illo, vel cum illo quemquam alium, qui societate facti ejus minime teneretur, fuisse puniturum. Neque enim ei mandatum legis licebat excedere, quod datum est hominibus, ne iudicio suo, quod in hominem homini iustum, sive permisum est, alterum pro alterius peccato arbitretur esse plectendum. Longe autem secretior est iustitia iudicis Dei, qui potens est etiam post mortem, quod homo non potest, liberare, vel perdere. Et post pauca iterum subdit: Hoc enim præcepit homini iudici Deus, in his, quæ ad humanum iudicium pertinent iudicanda, quod in suo iudicio facit ipse quo potest, testas non aspirat humana. Hactenus Augustinus. Ex cuius verbis, illud, quod dixit, iudicem humanum non posse unum pro peccato alterius punire, non generaliter est accipiendum & de omni pœna intelligendum: sed solum de pœna mortis. Quoniam de hac sola pœna invenio in lege divina iudices esse prohibitos: ne unum pro alio puniant. Hæc enim sunt verba legis, quam Deus de hac re in Deuteronomio cap. 26. statuit. *Non occidentur* (inquit) *patres pro filiis, nec filii pro patribus: sed unusquisque pro peccato suo morietur.* Cum hic occisionem prohibuisset, nullam proliis alterius pœnam fecit mentionem. Ut hanc Domini legem servaret Amasias filius Joas Regis Jada; quamvis eos, qui patrem suum occiderant interfecit: filios tamen eorum occidere noluit, ut in quarto libro Regum cap. 14. narratur. Propter quod ego non possum non mirari quo pacto Imperatores Honorius, & Arcadius in L. quilibet cum militibus C. ad leg. Jul. ma. non sint vetiti dicere, se ex Imperatoria lenitate vitam concedere filiis eorum, qui Regiam læserunt majestatem, tamquam si hac Imperatoria lenitate seclusa, iuste potuissent filios pro peccatis parentum interficere. Lege siquidem divina, quam supra citavimus, erat illis interdictum, ne patres pro filiis, aut filios pro patribus interficerent. Ratio autem, quam in eadem lege afferunt, ut filios etiam iuste occidere possent, nullius profusus est momenti. Paterno enim (inquunt Imperatores illi) deberent perire supplicio, in quibus paterni hoc est, hereditarii criminis exempla metuuntur. O vanissimum argumentum! Erit igitur iudici licitum interficere Petrum, quia iuste metu illam fore latronem, aut homicidam, aut aliquid aliud simile. Numquam enim debet pœna prævenire crimina: sed sequi. Iustum quidem est hoc in filiis metuere, quod scitur patres eorum commisisse. Iustum etiam est huic metu mederi, ita ut aliquo iusto remedio adhibito impediatur, ne id, quod timebatur, eveniat. Injustum tamen est, & iniustissimum, ut propter metum futuri criminis quibus puniuntur eadem pœna, qua puniretur, si jam illud crimen commisisset. Non ergo ex sola misericordia aut ex Imperatoria lenitate (ut illi loquuntur) sed ex mera iustitia conceditur vita filiis eorum qui criminis lætæ majestatis sunt rei. Et idem profusus dicendum est de Catholicis filiis hæreticorum, qui & si pro hæresi parentum suorum iuste aliis possunt pœnis ferri, numquam tamen pœna mortis pro illis puniuntur. Quia (ut divina lex ait) (Deut. 24.) *quisque pro peccato suo morietur.* Quod autem dicit Papa in cap. vergentis. Extra de hæreticis, filiis eorum, qui lætæ majestatis sunt rei, vitam ex sola misericordia esse conservatam. Papa

Innocentius cuius est textus ille, non dixit imperatoribus aut approbando illud: sed solum retulit, quid Imperatorum leges de reis lætæ majestatis decreverint: & inde tamquam à minori ad majus arguit de bonorum consecratione simile esse circa hæreticos faciendum, quod circa reos lætæ majestatis. Imperatorum leges decreverunt. Sic igitur hæc certissima, & infallibilis sententia, ut nulli humano iudici liceat unquam unum hominem pro peccato alterius occidere. Quæ regula non ad solam mortem: sed etiam ad alia corporis flagella, & vulnera, & reliquos corporis cruciatus est extendenda, ita ut etiam intelligatur esse iudici humano interdictum, ne unum pro peccato alterius flagellet, aut vulneret, aut alia quavis simili corporis pœna puniat. Ita enim sentiunt illustres Theologi, videlicet Alexander de Alestertia parte, quest. 4. n. membr. 4. articulo primo, & post illum Beatus Thomas Secunda Secundæ, quæst. 108. articulo tertio. Et merito quidem divinam illam legem sic extendendam esse putant: quia sicut per præceptum illud: Non occides, non solum prohibetur mors: sed quilibet alia corporis percussio: ita etiam consequens est, ut per præceptum illud, non occidentur patres pro filiis, aut filii pro patribus, sit etiam flagellatio, aut quælibet alia corporis percussio iudici interdicta, ita ut neminem pro peccato alterius possit, aut flagellare, aut subibus cedere. De hac igitur pœna, quæ mortem, & alios corporibus cruciatus comprehendit, quam Alexander de Ales, & Beatus Thomas vocant pœnam flagelli, intelligit Augustinus (ut ex toto suæ litteræ decursu, facillimum est colligere) cum dixit non licere iudici humano alterum pro alterius peccato punire. Pœnam etiam spiritualem, & invisibilem qualis est excommunicatio, dicit numquam esse à iudice humano, nisi pro peccato proprio inferendam sicut Deus spirituali, & invisibili pœna numquam alterum pro alterius peccato punit. Reliquas autem pœnas, quæ neque spirituales sunt, neque ad corporis mortem tendunt, bene potest iudex humanus alicui, cum iusta subest causa, pro peccato alterius infligere. Nec solum pro peccato alterius, sed etiam absque illo peccato: numquam tamen sine iusta causa licite potest iudex hujusmodi pœnas aliis inferre. Nam filius ex fornicatione natus, propter solum patris peccatum, non admittitur ad sacerdotium, Deo ita præcipiente. *Non ingreditur* (inquit Dominus in Deuteronomio cap. 23. *maner, id est, de sorte natus in Ecclesiam Domini, usque in decimam generationem.* Iudex etiam propter sententiam sanguinis iustissime latam, & executioni mandatam, puniunt irregularitate. Duo igitur sunt modi (ut ex prædictis patet) per quos offendimus ea, quæ in Exodo habentur, optime conveniunt cum his, quæ per Ezechielem Prophetam dicta sunt, & nullam esse inter illa duo contradictionem.

CAPUT XII

Quod hæretici sunt, mortis supplicio puniendi, sive talis mors gladio, aut igne, aut alio quovis modo illis inferatur.

Ultima se jam offert corporis pœna: mors scilicet, qua hæreticos, nisi tempestive respiciant, iuste puniendos esse apertissime Deo favente demonstrabimus. Et ut apertius rem agamus, primo ante omnia percontari volo eos, qui contra sentiunt, an licitum sit ob aliquam iustam causam hominem aliquem occidere? Forte dicent, prout